



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Caput XI. Quomodo Conciones funebres instituendæ sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

plures annos totam Dominicam Passionem explicando percurrat.

CAPUT XI.

QUOMODO CONCIONES FUNEBRES
INSTITUENDÆ SINT.

Duplicis Generis Conciones institui solent, Solemnes & Communes. Illæ plerumque in Exequiis, hæ ipse sepulchræ tempore instituuntur. De utrisque fructuosè institutis solidam ac facilem Praxin hoc capite sum allaturus.

§. I.

Quid in his Concionibus in Genere sit
observandum.

In primis & ante omnia curet Concionator, ut sinceram erga defunctos omnes misericordiam instillet suis AA. & Parochianis, eumque in finem sibi applicet quoque saluberrimam illam Doctrinam, quam P. Jacobus Laynes Secundus S. J. Generalis reliquit, dum inter alia media ad conservandam Societatem hoc in primis commendavit, ut quotidie, & quàm frequentissimè Animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, meminisset; Nam quandoquidem Societas tantùm exhaurit laboris, occupationibus tam multis eo duratur sine susceptis, ut Homines ad æternam felicitatem consequendam juvet, Consentaneum profectò est, ut eundem prosequens Charitatis Spiritum etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur, ne justa illis sit causa Societatis charitatem quasi imperfectam accusandi; & merito liceat conqueri, se in medio itinere, eoque in loco destitutum, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Quæ Doctrina profectò à Curatoribus Animarum tantò magis observanda est, quantò pluribus & potioribus Titulis obligati sunt, ad Animas suorum Parochianorum juvandas. Accedit, quòd hæc misericordia sit efficacissimum Medium ad Felicitatem æternam meliùs, citiùs, & copiosius obtinendam, atque adeò vel hoc etiam titulo à Pastore suarum ovicularum salutem avidè desiderante studiosè inculcari debeat.

2. Cum nunquam ferè, quàm tali tempore, quo Con-
 ciones funebres habentur, Animi Auditorum magis sint dis-
 positi ad doctrinas acceptandas; Ideo in his Concionibus
 specialem adhibeat diligentiam, ut ad motus & affectus con-
 gruos excitandos sint comparata. Quod quidem non adeò
 erit difficile, si industrias mox subjungendas sedulò observet.

3. Præcipuè semper ob oculos habeat finem, quem e-
 jusmodi Concionibus habendis præfixum esse oportet, qui
 quidem triplex est potissimum. Scilicet Collaudatio de-
 functi, Consolatio Amicorum, & ædificatio reliquorum Au-
 ditorum, omnemque det operam, ut quidquid his finibus ob-
 tinendis obstare potest, efficaciter removeat.

4. Pro primo Fine, scilicet Collaudatione defuncti ob-
 tinendo sequentia observet. 1. Caveat ne aliquid ad com-
 mendationem defuncti afferat, quòd fictitiæ virtutis speciem
 præferat. Sic enim hoc ipso tota Concio vilesceret, atque
 adeò omnis Fructus desperandus foret. 2. Caveat similiter,
 ne factis, quæ aut nullam aut specialem certè laudem non
 merentur, referat Concionem; sic enim obscurare potius,
 quàm procurare laudem Defuncti censeretur. 3. Caveat
 etiam, ne si plura facta commemoret Concionem ingratham
 aut infructuosam efficiat. Meminerit proin illius Senten-
 tiæ à S. Augustino prolatae, quâ dixit, pompam funebrem, &
 multitudinem comitantium ad sepulchrum, & similia, sola-
 tia vivorum potius esse, quàm mortuorum, laudarique tales,
 ubi non sunt, & cruciari, ubi sunt. Ideo selectiora quædam,
 ea que pauca facta seligat, atque non tam ad memoriam, lau-
 demque defuncti, quàm ad imitationem & ædificationem
 Auditorum proponat, & reliqua per ingeniosam aliquam
 præteritionem breviter percurrat.

4. Caveat denique, ne, dum alios passim laudat, de ali-
 quo Defuncto nil omnino dicat; sic enim tacitè vituperare
 defunctum censeretur, & Consanguineos pudefacere, offen-
 dereque posset. Si ergo nil speciale occurrat, ex hoc ipso
 laudis occasionem sumat, dicatque, sicut nonnumquam dixit, vi-
 tam communem esse suam maximam penitentiam; ita hoc
 ipsum de vita hujus defuncti dici posse. Aliàs dicet modesti-
 am Defuncti tantam fuisse, ut sua pleraque absconderit, vi-
 tamque occultam cum Christo ducere maluerit, quàm videri
 glorio-

gloriosus. Interdum ex ipsa morte, quæ plerumque pia
solet, desumi potest occasio vitam collaudandi, cum
soleat esse Echo vitæ, juxta commune Adagium. *Sicuti
ita, Finis ita.*

5. Pro secundo Fine sive Consolatione Amicorum ob-
tinenda, det operam, ut sive ex ipsa mortis qualitate, sive ve-
ritate præteritæ tempore ostendat, probabilem spem conari
posse, quòd defunctus inter Electos sit adnumeratus, et si finis
tè non nihil à fruitione Beatitudinis in purgatorio retardetur.
2. Ut ex ipsius obitu ostendat Conceptum, non illud
dabilem esse dolorem, nec improbari posse, si hunc etiam
mici lachrymis contestentur, verùm cavendum esse, ne im-
moderatus sit, & ab auxiliis mortuo impendendis impediatur.
3. Ut pariter declaret, quantas & sibi, & defuncto gratias
occasiones habeant, ut qui ex Exilio in patriam translati
aut certè transferendus, optatum votorum terminum attingerit,
illisque plus inde auxilii, quàm in terris fecisset, potest
credatur. 4. Ut ipsis significet, nunc maxime adhibendum
tempus, dilectionem suam non verbo, aut singulis
chrimisque, sed opere & veritate demonstrandi, ut dici de
lis æquè ac de Christo queat. *Cùm dilexisset suos, et suos
dilexit illos.* Joan. 13. ostendat proin quomodo hanc dilectionem
ostendere queant.

6. Pro tertio Fine, scilicet ædificatione aliorum, ob-
tinendo det operam, ut, quandoquidem, ut dixi, optime
dispositi Auditorum animi, occasionem sumat, saluberrimas
quasque Doctrinas commendandi. Specialiter verò memo-
riam mortis, Judicii, Æternitatis: Item utilitatem bonorum
operum, utpote quæ solummodo comitata fuerint defunctum:
Vanitatem rerum humanarum, utpote de quibus nisi
Afflictio animi sit relicta; Patientiam in adversis, utpote
quæ nunc rosas sit productura in altera vita: Cultum
Virginis & Sanctorum, utpote qui soli in Judicio adstruant
amaros fructus peccati, ex quorum manducatione dentes
est, Conscientia Defuncti obstupuerint; vitæ brevitatem &
mortalitatem incertitudinem, ut maturè ad hanc se præparare
deant.

7. Cùm aliquibus in locis admodum frequentes
ejusmodi Conciones & sæpe non multum temporis
sup-

rat, ad illas faciendas; imprimis studeat magnam in iis habendis varietatem observare, ne dum eadem, eodem ferè modo frequentius repetit, fastidium potiùs quàm speratum animorum motum efficiat. Itaque fontes semper quosdam in memoria habeat, ex quibus dictam varietatem haurire possit, qui quidem ad sequentes duodecim revocari possunt. Primus vita & facta defuncti. 2. Argumenta, quæ spem faciunt beatitudinis ab eo obtentæ. 3. Motiva & Causæ succurrendi. 4. Media ad succurrendum. 5. Objectiones, quæ à tepidis obijciuntur, ad debitum hoc fraternæ Charitatis à se amovendum. 6. Officia variâ Defuncti. 7. Ætas & aliæ circumstantiæ concomitantes. 8. Varia Genera mortis. 9. Doctrinæ salutares, vel ab ipso defuncto relictæ, vel ex morte illius deductæ. 10. Epitaphia variâ mortuis constructa. 11. Emblemata, vel aliæ res sepulchris affigi solitæ. 12. Sepulchrum & ritus sepeliendi. Ex quibus omnibus fontibus, quomodo varij conceptus erui, & fructuosè proponi queant, infra variis Exemplis practicis demonstrabitur.

§. II.

Exemplar Primum.

Quomodo in Exequiis alicujus Defuncti concio haberi possit.

Thema.

Respice in testamentum tuum. Ps. 73.

Scopus.

Demonstrandum, quòd probabiliter defunctus sit inter beatos connumeratus, simulque Auditores, ad viræ & virtutem ejus imitationem accendendi.

Syllogismus principalis Primus.

Amor B. Virginis, Misericordia erga Pauperes, & bona vita sunt optima media ad vitam aeternam obtinendam; Atque hæc diligenter adhibuit Defunctus; Ergo meritis creditur, eam vitam aeternam obtinuisse.

Alter

Alter Syllogismus Principalis.

Legata pretiosa à Testatoribus relicta sunt hilari gratoque animo acceptanda; Atqui Defunctus talia legata reliquit omnibus vivis Hominibus; Ergo hi omnes hilari gratoque animo debent illa acceptare.

E X O R D I U M.

Quando vir aliquis dives aut Primarius mortuus est, ante te omnia quæri solet, an Testamentum fecerit, tantòque diligentius quisque responsum accipere desiderat, quanto majorem spem concepit, aliquid ex illa hæreditate accipiendi. Idem credo his diebus contigisse, quando non sine magno multorum dolore Dominus Nicolaus, cujus Exequias hodie celebramus, piè in Domino abiit; quare, cum non dubitem quin mei Auditores quoque aliquod legatum ex ejus testamento expectent, statui eorum desiderio satisfacere, atque adeò in præsentì concione breviter indicare, quale Testamentum is fecerit, & quid potissimum meis AA. legata verum Spero itaque tantò avidius, me àudutum iri, quanto gratior sunt, quæ in præsentia sum dicturus.

Pars Prima.

In quatuor potissimum partes divisit Testamentum Nicolaus noster, juxta numerum scilicet rerum, quas à DEO acceperat. Prima pars continebat animæ dispositionem, quam per illa S. Davidis verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*: non alteri, quàm DEO velut præstantissimum quod habebat, bonum offerendum censuit. Quòd verò etiam gratiam habuerit DEUS oblationem, atque adeò accepit in manus suas spiritum ejus; plura quidem, sed præcipue satis clara indicia sperare nos faciunt. Primum est singularis & tenerimus Amor, quo erga S. DEI Genitricem toto vita suæ tempore ferebatur. Hanc sanè amavit, & exquiri in Juventute sua: Hanc in Matrem suam elegit, in hujus Congregationem inscribi se permisit, legesque accuratè observavit. Hanc annuis Confessionibus & Communionibus illius Festis præcipuis, Sabbathinis Jejunii, vel saltem abstinentiis, & quotidiana recitatione Rosarij, Litaniarum, &

limumque precum, imò & horaria Salutatione pijsimè coluit, & honoravit. Ad hanc in omnibus necessitatibus & periculis velut Infantulus ad Matrem cum singulari fiducia confugit, ut in Agone maximè apparuit, quando ejusdem Iconem suavissimè dissuaviatus, tenerrimò cum affectu illam Ecclesie orationem recitavit: *Sub tuum Praesidium confugimus, Sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis, & à praesenti maxime, libera nos semper Virgo Gloriosa & benedicta.* Sed & illam saepius iteravit: *Maria Mater gratia, Mater misericordia, Tu nos ab hoste proteges, & hora mortis suscipe.* Cum ergo SS. PP. & Ascetae passim amorem & devotionem constantem erga hanc Sacratissimam Virgine[m] inter praecipua Praedestinationis indicia meritò numerent; ita ut S. Anselmus dicere ausus sit, impossibile esse, ut ad ipsam conversus pereat; sic ex tot illustribus & probatis Historiis habemus, etiam gravissimos Peccatores, qui unicam Salutationem Angelicam quotidie recitarent, vel aliud simile obsequium constanter ipsi exhibuerunt, mirabiliter ejus intercessione conversos, felicemque ex hac vita transitum sortitos esse, an de Nicolao nostro, qui tot tantaque obsequia tam constanti, & tenera pietate ei per tot annos praestitit, dubitare poterimus, quod non eandem à misericordissima Patrona sua gratiam obtinuerit?

Alterum indicium est, Misericordia erga pauperes, quam usque adeò constanter tenuit, ut verè de ipso illa. Job c. 31. verba dici potuerint: *Ab infantia mea crevit mecum miseria, & de utero matris egressa est mecum.* Hinc quoties aspicebat Pauperem, tenerrimè erga illum viscera ejus mox commovebantur. Neque tamen inter sola verba stetit illius commiseratio, etiam in effectum multipliciter prodijt. Hinc de suis redditibus & lucris annuatim certam partem seponens, quam in Sacculo quodam, cui Titulus *Marsupium Christi*: inscriptus erat, reposuit, & suo tempore non aliorum operas, sed propriis manibus cum singulari solatio, tam suo quam Pauperum, ut qui vel ex ipsa vultus hilaritate tenerum ejus Amorem facilè conijciebant, distribuere solebat. Sed & severissimè suis praecipiebat, ut ciborum reliquiae diligenter asservarentur, & pauperibus suo tempore dividerentur; singulariter verò erga pauperes infirmos afficiebatur; hinc

non

non modò cibos, potùmque illis identidem submittebat, sed medicinis & refocillationibus constanter adjuvabat; imò non contentus erat, ut ipsemet talem effectum erga miserum foveret, sed eundem etiam Domesticis instillare conabatur. Hinc quoties audierat, mendicum aliquem gravius à Domesticis increpitum fuisse, ægerrimè ferebat, illudque S. Augustini super Ps. 103. monitum in memoriam illis revocabat: *Si non potes dare, affabilem te fac: Coronat DEVS voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat non habeo. Charitas de sacculo non erogatur.* Et si verò talis fuerit, ac tanta Nicolai nostri erga viuentes pauperes Commiseratio, quam, ut infra videbimus in hoc ipso Testamento novo, eoque luculento Testimonio iterum declaravit; negari tamen non potest, eam erga Defunctos tantò teneriorem fuisse, quanto maiorem illorum necessitatem ac indigentiam esse, divinitus illustratus cognoverat; & sanè longus forem, si omnes illius inventiones ad subsidium Animarum excogitatas vellem recensere. Dux nobis, quæ præcipuè creduntur, sufficientes, quarum altera est, quòd menstruam Communionem, aliàsque similia opera, ob quæ Indulgentias plenarias Animabus applicare licet, diligentissimè semper lucrari studuerit, & non illo duntaxat die, sed etiam quavis hebdomade Feria Secunda Sacrificium Missæ pro illis offerri curaverit, eò quòd hæc duo media præ cæteris efficacia judicaverit ad dictas Animas, quàm celerrimè à pænis eximendas.

Altera inventio erat, quòd omnem operum suorum factum satisfactorium, quem aliis potiori titulo transferri non cogebatur, animabus ijsdem cum insigni liberalitate reliquerit, tantique fecerit hoc officium Charitatis, ut Beatus dicere sit solitus horam, quâ in Libellum, qui efficaciter hanc devotionem ei persuaserat, incidisset, certamque quotidie orationem pro Sacerdote, qui dictum libellum composuerat, recitaret. Si ergo S. Hieronymus in epist. ad Nepotianum affirmare indubitanter ausus est, se non legisse aliquem mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit, eò quòd multos habeat Intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri; quis non felicissimè morte defunctum Nicolaum nostrum credat, quem tot tantæque præstantia misericordiæ opera exercuisse cognovit?

Tertium

Tertium tandem indicium est, vita ipsius honestè transacta, de qua quidem non opus multa dicere, cum vobis ipsis luculenter constet, quàm piè & Catholicè vixerit. Illud omnino præterire non possum, quin commemorem, quòd suam sanctitatem prudenter non in exoticis actionibus, aut amillibus devotionibus, sed quotidianis officij sui functionibus perfectè, id est, cum legitima intentione, & debita diligentia obeundis posuerit, memor verissimi effati ab Asceta quodam prolari: *Optima Christiani perfectio est, quotidianas status sui functiones ritè peragere.* Hinc præcipua ipsius cura erat, ut temporis magnam rationem haberet, illud Judæ dictum perpetuò sibi & aliis occinere solitus: *Vi quid perditio hæc?* Poterat hæc actio venundari multis, & dari pauperibus. Proxima dein illius cura erat, ut tempus Matutinum tam ab ipso, quàm Domesticis inter preces absumeretur, eò quòd menti suæ altè impressum habuerit illud Salomonis consilium Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abundabunt horrea tua frumento & vino torcularia tua redundabunt;* Eandem ob causam curabat etiam, ut non ipse duntaxat, sed Domestici etiam Missæ Sacrificio quotidie interessent, & SS. Confessionis & Eucharistice Sacramenta, quæ ipse singulis ad minimum octiduis usurpabat, quovis mense religiosè suscipere. Cum aliis vero tam sincerè, justè, & affabiliter vivebat, & conversabatur, ut vel ex solo hoc indicio inter veros Christi discipulos numerari meruerit juxta illud Christi Joan. 13. dictum: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Si ergo juxta communem sensum hominum longà experienciâ comprobatur, Mors Echo vitæ dicitur, &, ut S. Augustinus l. de doctr. Christ. dixit: *Non potest male mori, qui bene vixit:* An non meritò credimus beatam mortem defunctum Nicolaum fuisse, qui vitam tam honestè, tam sanctè ad finem usque instituerit?

Pars Secunda.

Sed, ut video, longius non nihil prima hæc Testamenti Pars me abduxit. Ad alteram me converto, quam quidem uti sequentes duas brevius percurram. Sicut ergo Animam DEO, ita Corpus suum terræ, à qua illud acceperat, restituit;

Instruit. VII

C c

quâ

quâ tamen in transcriptione nescio, an non sapientiam magis, quam Modestiam suam egregio Argumento iterum confirmârit, dum solam pompam ordinariam in sepeliendo suo corpore adhiberi, omnem verò splendorem aut curiosum apparatus studiosissimè vitari iussit. Novit scilicet prudentissimus Nicolaus, quod jam pridem S. Augustinus de verbis Apostoli Thessal. 4. sapienter dixerat. *Pompa funebria, & pompa Exequiarum, sumptuosa diligentia sepultura, Monumentorum opulenta Constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia non adiutoria mortuorum.* Novit quoque corpus in hac vita quasi Equi munere functum esse, à quo Anima tanquam bestia ques fuerat circumlata. Neque adeò decere, ut dum Equus ipse foris est, in Capri vitate & gravi necessitate constitutus, tota cura in equum mortuum transferatur, nullâ aut exiguâ sollicitudine de Equite liberando conceptâ. Itaque prudenter Corporis curam vetuit ut meminissent amici tantò magis rem curam in animæ suæ solatium & liberationem adhibendam esse, quem proinde in finem, & ipse non modicam famam assignavit pro Sacris post mortem ipsius statim obrendis.

Pars Tertia.

Non majorem verò Sapientiam & pietatem in bonis suis temporalibus distribuendis adhibebat. ubi ante omnia ob oculos pulcherrimum S. Joachimi & Annæ Exemplum habuit, qui divitias suas in tres partes diviserunt, & Primam quidem DEO obtulerunt, & in Templo Ministris dedicârunt; Aliam sibi pro casibus necessariis reservârunt, tertiam denique pauperibus distribuerunt. Hoc, inquam, Exemplum Nicolaus noster insigniter imitatus est, nam quantam partem Divitiarum in variis Ecclesiis reliquerit testabuntur ipsæ Ecclesie, quæ portionem sibi legatam accipient: quam diligenter pauperum memor fuerit, testabuntur Xenodochia & Hospitalia, & Religiosorum Monasteria, quorum nullum sine liberali legato vacuum abire permisit: magis verò suo accurato & sollicitudine testabuntur ipsimet pauperes, dum post rem divitiarum finitam largam singuli stipem accipient. Et si verò certam partem, eamque bene amplam Familie suæ sustentandæ & conservandæ assignârit, in eo tamen singularis Prudentie

dem est promeritus, quòd se ipsum etiam adhuc inter Familiam computarit, & recordatus, quòd Charitas à se ipso incipiat, & sibi quisque sit proximus, non levem summam in Sacrificia post mortem pro Anima sua legenda expendi voluerit; ob quam quidem sollicitudinem tantò magis suspicienda acque depredicanda est Charitas ordinata, erga seipsum, quantum pauciores in Orbe Imitatores reperit. Quotus quisque enim est, qui non totus in bona quàm plurima Familiæ relinquenda intentus, nil minùs cogitat, quàm de portione congrua sibi ipsi assignanda? Hi profectò sæpe perpendere debeant saluberrimum responsum, quod aliquando Filius quidam Parenti dedisse scribitur; Cùm enim hujus Pater in extremis constitutus Filios convocasset, & quid quisque contentandi sui amoris causâ post mortem Parentis facere vellet, interrogasset, variique varia responderent; ipse ut natu minimus nil se facturum dixit, causamque rogatus à Parente, sapienter in hunc modum respondit: Si tu, ô Pater, qui plerum nunc opum tuarum dominium possides, & te haud dubiò magis, quàm nos amas, tamen pro anima tua sollicitus non es, quomodo sperare poteris, nos, qui partem tantùm bonorum tuorum, singuli capiemus, memores tui futuros, & ab amore proprio excæcatos non potiùs in nostram, quàm tuam utilitatem dicta bona applicaturos. Notate hoc pulcherrimum responsum Parentes, qui hactenus pro Liberis magis, quàm pro vobis solliciti fuistis. Notate hoc, inquam, & vel à nostro Nicolao discite, quousque ordinatus suorum amor se extendat, quàmque verum sit, quod Salomon Eccles. c. 5. dixit: *Hoc itaque visum est mihi, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitiâ ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vita sua, quos dedit ipsi DEVS, & hæc est pars illius, & omni homini, cui DEVS dedit divitias, atque substantiam, præstetque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & læsetur de labore suo: hoc est donum DEI.*

Pars Quarta.

Sed quid nobis ait non nemo, reliquit Nicolaus? Respondeo, optimam partem bonorum suorum vobis ab eo reservatam, nempe virtutes suas, has enim solas pro veris divitiis agnoscebat, has solas sciebat, non à furibus auferri, nec à

tineis aut ærugine consumi posse; has solas secum in alteram orbem exportari posse sciebat. Ad has ergo congregandas sicut omne per vitam suam studium impendit, ita nunc in morte lubens distribuit, & DEO quidem de ijs Gloriam & Honorem sibi meritum, Defunctis satisfactionem, vobis vero imitationem transcripsit. Vos ergo ijs S. Pauli 1. Cor. 11. verbis alloquitur dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Nōstis, quā ego accuratus in rebus ad divinum cultum pertinentibus fuerim, Christūque in Templo per triduum commorantem imitatus sim. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nōstis, quantoperē Charitatem fratrum nam semper æstimaverim, quantōque studio omne id, quod eam ulla ratione violare poterat, devitārim, quia hoc mandatum, hanc Doctrinam Christi esse noveram: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nōstis, quā modestē semper de me senserim, quantāque fortitudine atque constantia injurias illatas non modō supportārim, sed etiam ad imitationem Christi condonārim: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nōstis denique quantopere ego semper in omnibus tam adversis, quā prosperis voluntatem meam cum divina conformare studuerim, humilians me ipsum cum Christo, & factus obediens usque ad mortem crucis: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, quia sicut Socij passim estis, sic eritis & Consolationis.

Epilogus.

Audistis ergo, quā pulchrum, & vobis utile Testamentum Nicolaus noster confecerit. Superest, ut agnoscat hoc beneficium, Deūque impensē rogetis, ut illud ei in altera vita abundē compensare, etsi quidem æternam Requiem nondum obtinuerit, ad eandem ipsum admittere dignetur. De reliquo date operam, ut, quod unice Testator exspectat, illius partis, quæ vobis relicta est, executionem strenuē urgeatis, adeoque illis Siracidis Eccl. c. 11. verbis vos alloquentem imaginemini. *Stā in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterāscē.* Sic dicitur cum Davide Psal. 118. *Hæreditate acquisivi Testimonia tua in æternum.* Et Psal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim Hæreditas mea præclara est mihi.* Quousque cum ipso hæredi-

hereditatem etiam cælestis Regni obtineatis, & in eodem in æternum latemini. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini mei* *saltem vos Amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. ostendi potest, quàm meritò animæ in purgatorio vocentur à Fidelibus Pauperes vel miseræ, *die Arme/ oder armseltige Seelen.* Quia videlicet 1. gravissimis miseriis & pœnis sunt subiectæ, quarum minima, teste D. Thoma & aliis Doctoribus, gravior est, quàm omnes dolores & tormenta hujus Mundi collectivè sumpta. Unde meritò Anglus quidam Monachus, teste D. Dionysio Carthusiano, conspectis purgatorij pœnis dicebat: DEUS mihi sit testis, quoniam, si hominem, qui me, necòsque gravissimè læsisset, vel omnino occidisset, in his pœnis jacentem viderem, libenter mille vitas pro illius redemptione impenderem, usque adeo omnem modum & limitem excedit pœnarum illarum accerbitas. Id quod alius quoque propriâ experienciâ testatus est, qui, cum gravitatem morbi sui impatienter ferens, à DEO per Angelum optionem impetrâisset, sive per tres horas supplicia Purgatorij, sive per tres annos adhuc morbi sui cruciatibus sustinendi, ubi priorem partem elegit, & vix unâ horâ Purgatorij pœnas sustinuit, mox gratiam redeundi ad vitam petijt, & trecentis annis morbi dolores facilis & libentiùs toleraturum se asseveravit, quàm unicâ horâ Purgatorij cruciatibus. 2. Quia seipsas juvare non possunt, atque adeò similes sunt Paralitico juxta Piscinam probaticam jacenti. Joan. 5. qui hominem non habebat juvantem, ut prædictæ Piscinæ auxilio à sua infirmitate curaretur; Verè enim Animæ tales sunt in loco, in quo quidem satisfaciendo pœnas suas extinguere, non verò satisfacere proprijs meritis possunt. 3. Quia carent lumine cæli, id est, lumine gloriæ & visione beatificæ, atque adeò jure dicere possunt cum Tobia cap. 4. *Quale gaudium mihi eris, qui lumen cæli non video.* Unde meritò etiam ex hoc titulo miseræ seu *arme Seelen* vocari possunt, cum juxta commune proverbium sit: *Ein blinder Mann / ein arme Mann.* & hæc miseria tantò sit gravior, quantò gravior afflictio ex privatione visionis beatificæ oritur, uti ex communi

muni Doctorum sensu, ipsiusque visionis præstantia probat potest.

II. Ex occasione thematis: *Quâ mensurâ mensi fueris, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6. potest ostendi, quomodo Charitas erga Defunctos perfectissimè demonstrari queat, scilicet implendo quatuor conditiones, quas Christus cit. loco ad mensuram perfectam requisivit dicens: *Mensuram bonam, & confertam, & cogitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quarum prima impletur, si aliquoties per diem, vel hebdomadem pro iisdem orationes, sacrificia, & alia pietatis opera offerantur, uti multi Christiani faciunt. Secunda, scilicet *confertam* mensura datur, si omnis fructus impetratorius aut satisfactorius, ad quem aliis applicandum non obligamur, per totam vitam obventurus iisdem transcribitur (quod, quâ ratione fieri possit, paulò clariùs explicandum est) uti S. Gertrudis fecisse scribitur; & etiamnum hodie non pauci Animarum purgantium singulares Patroni facere consueverunt. Tertia, videlicet *cogitata*, porrigitur, si etiam ea, quæ post mortem obvenient Sacrificia, & alia pia opera, iisdem Animabus transcribantur, uti P. Ferdinandus de Monnarij (alij Hernandum Monsoy vocant, nisi forte de-versus sit) à Societate JESU fecisse scribitur in Syllabo Prover. Peruanæ 21. Sept. 1626. qui omnes Missas & Rosaria post mortem pro se offerenda animabus purgantibus donavit, & hanc suam voluntatem scripto consignavit. Quarta, nempe *supereffluens*, datur, si etiam alij ad similem charitatem verbo vel exemplo incitentur, uti multi Patroni insignes Animarum facere consueverunt, qui, ubi ubi possunt, alijs teneram erga Defunctos charitatem instillare conantur; & merito, nam & ipsis animæ eâdem mensurâ suum Patrocinium & beneficia mensurabunt, & primò quidem mensuram *bonam* dabunt, dum à varijs malis, & hostibus potenter defendent, uti Eusebius Siciliæ Dux, qui 40000. animarum per modum Equitum sibi occurrentia pro defensoribus habere meruit, expertus est, teste Joanne Majore in Spec. Exempl. tit. Defuncti ex. 25. *Confertam* dabunt, dum varia bona temporalia impetrabunt, uti multi quotidie experiuntur, ita ut communitè paulatim persuasio invalescat, unum ex efficacioribus medijs ad quidvis impetrandum esse, si certa in animarum subsidium

opera ad intentionem, ut illa operatam gratiam impetrent, offerantur. *Cogitatum* porrigit, dum varias virtutes & cælestes gratias, maximè verò ipsam beatitudinem impetrant: id quod tantò ardentius præstabit, quantò magis utilia & expectanda præ temporalibus esse cognoscunt. *Superfluentem* denique offerent, dum copiosum in altera vita gloriæ incrementum impetrabunt, quæ omnia tum pulchris exemplis confirmari; tum maximè per id, quod S. Gertrudi contigisse, P. Casparus Tausch in *Matre dolor.* p. 3. c. 7. testatur, illustrari possunt, cum enim hæc omnem fructum suorum operum transcripsisset his ipsis animabus, idèoque timeret, ne propriæ satisfactionis defectu graves in Purgatorio pœnas subire cogeretur, Christus eidem apparens sequenti- bus eam verbis solatus est: *Filia, ut videas, quantopere mihi placeat insignis tua in Defunctos charitas, in compensationem tibi condono omnes pœnas, quas in eodem Purgatorio sustinere deberes. Præterea qui olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo & gloriâ multò excellentiore te premiabo. Efficiam denique, ut animæ per te liberatæ morienti assistant, & cum magno triumpho te in cælum reducant.* De qua materia videri potest P. Jacobus Monfortus in tract. de *Misericordia animabus præstanda*, ubi pulchrè ostendit, non solum nihil deperdere eos, qui dicto modo animabus misericordiam merentur, sed potius plurimum lucrari.

III. Ex occasione thematis: *Faciám vos piscatores hominum*: ostendi potest, quomodo animas Defunctorum ex latere Purgatorij (ut Ecclesia illud in Missa Defunctorum vocat) piscari debeamus; quem in finem narrari in primis potest historiola illa de Puero, qui, dum super sepulchro Matris suæ Orationem Dominicam & Psalmum *Miserere* recitabat, visus est ab Episcopo. hamo aureo, & lineâ argenteâ pulcherrimam Mulierem extrahere, uti fasius in *Spec. Exempl. dist. 9. ex. 143.* videre est. Itaque ostendatur, quibus instrumentis hæc Piscatio fieri debeat, nimirum 1. per *Virgam* rectam & oblongam: perquam intentio bona intelligitur, per hanc enim perinde Animabus nostra opera, ac piscibus esca, porrigitur. 2. Per triplicem *funiculum*, per quem esca demittitur, & charitatem triplicem rectè significare dicitur, scilicet cha-

ritatem erga DEUM, nos ipsos, & Proximum, quæ mentio non modicè impellere nos possunt ad auxilium animabus præstandum. 3. Per hamum duplicem justitiæ & misericordiæ divinæ; hæ enim ambæ concurrere & juvare debent ad animas extrahendas, uti sat clarè S. David Pl. 129. infirmavit dicens: *Si iniquitates (per justitiam tuam) observaverit Domine, Domine quis sustinebit?* Sed quia apud Dominum misericordia quoque, & c. pioſa redemptio invenitur, hinc hamus duplex efficitur, per quem efficaciter extrahantur, sicque impletur, quod S. David Pl. 84. dixit: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculate sunt.* 4. Per esum hamo appensam, quæ varia esse solet; ut enim interdum vermivorus, sanguifuga, aut mortuæ musculæ; interdum globuli aromatici, parvi Pisciculi, aut cerasa appendi solent; ita variis modis, nempe vel per Sacrificium Missæ oblatum, vel per orationem, jejunium, eleëmofynam, vel per indulgentias applicatas, animæ ex Purgatorio liberantur, uti fufius in meo libello, *die heilsame Kurgweil die Seelen zu fischen.* c. 1. & c. videri potest. Ut autem hanc Piscationem tantò avidius & diligentius exerceant, ostendi circa finem poterit, quam copiosos fructus pro hac & altera vita ex illa sperare possint. Certè cum DEUS aliquando tributum Vitæ tranſactæ seu rationem exiger, si modò ad lacum hunc frequenter secedant, & piscem, id est, animam extrahant, mox in ore ipsius statorem efficacis orationis, deprehendent, per quem pro se copiosam solutionem præstare poterunt, ut olim S. Petro in simili casu contigit, teste S. Matthæo c. 27.

IV. Ex occasione thematis: *Cuius vestrum Assinus aut Asinus in puteum cadet, & non continuo extrahet illum?* ostendi poterit partim, quàm æquum sit, ut animabus Defunctorum in Purgatorio luentibus succurramus, partim quomodo id ipsum præstare debeamus. Et primum quidem potest probari per triplicem titulum, nempe quòd sint 1. *Frates nostri* eodem Patre cælesti progeniti, & eodem sanguine redempti, eademque cum illis hæreditatem expectantes; quis nescit autem, si carnalis Frater in carcerem tradatur, quàm sollicitè pro ejus Redemptione obtinenda Fratres ejus reliqui laborarent. 2. *Membra* quoque sumus ejusdem corporis, teste S. Paulo 1. Cor. 12. dicente: *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus*

tempore baptizati sumus, & ideo sumus in vicem membra, uti
 idem ad Eph. 4. ait; si ergo juxta ejusdem testimonium, si
 quid patitur unum membrum, compatiuntur cetera membra; &
 experientia ostendit, dum membrum unum ab igne corripitur,
 mox manum succurrere, & ignem depellere, quidni multo
 magis, quando membrum longè præstantius igne multo
 acerbiori correptum advertimus, eundem celerrimè depelle-
 re studeamus. 3. Denique, quòd animæ tales sint templum
 & imago DEI præstantissima, & omnibus Mundi Templis
 gratior; quis autem Lauretanum v. g. aut aliud famosum &
 miraculis clarum templum ardere videns, non statim accu-
 rret, & omni modo liberare conaretur; quidni ergo multo
 magis pro spirituali templo, id est, animabus liberandis la-
 boretur? Ut adeò meritò S. Augustinus S. 44. ad FF. in ere-
 mo similia motiva perpendens exclamavit; *Cadit Asinus, &*
omnes eum sublevare festinant. Clamat Porcus, & cum eo cla-
mare ceteri non cessant. Sed clamat inter tormenta Fidelis, &
non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas! In eundem
 finem juvabit etiam sibi applicare, quod P. Jacobus Laynes
 secundus Societatis JESU Generalis suis subditis commen-
 dabat, dum eosdem adhortans, ut quàm frequentissimè ani-
 marum purgantium meminissent, hanc addit rationem; nam
 quandoquidem Societas tantùm exhaurit laboris, eo duntaxat
 consilio, ut homines ad consequendam felicitatem juver,
 consentaneum profectò est, ut eundem prosequentes charita-
 tis Spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficien-
 dum opitulentur, nè justa sit illis causa Societatis charitatem
 quasi imperfectam & mancarn accusandi, &, meritò liceat
 conquiri, se medio in itinere, eoque in loco destitutos fuisse,
 ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Secun-
 dum autem caput, scilicet quomodo liberari debeant, ostendi
 potest ex modis variis, quibus aliquem in foveam lapsum ex-
 trahere solemus, scilicet vel 1. *Scalam* domittendo, qualis
 Spiritualiter Missæ Sacrificium, per quod DEUS ad nos de-
 scendit, & nos ad DEUM, dici potest. Vel 2. *funem*, porri-
 gendo, per quem Rosaria, aliæque orationes intelligi que-
 unt. Vel 3. *Ramos præcisos* deijciendo, ut Elephanti se-
 matuò liberare dicuntur; per quos ramos fructus bonorum
 operum animabus applicati possunt intelligi. 4. *Manum*

porrigendo, per eleemosynæ liberalem oblationem, quæ quidem quatuor media fusiùs apud P. Fabrum c. 6. in die animarum, & Montfordum in tract. cit. c. 13. & seqq. & in meo libello *der heylsamem Kurzweil* cap. 1. tractata videntur queunt.

V. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines aprate vestras lampades: ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Matt. 25. dici potest, hanc Parabolam ideo à Christo propositam esse, ut maturè nos ad mortem præparemus, & de tali medio propiciamur, quod ad beatitudinem *certiùs, citiùs, & copiosiùs* obtinendam conducere queat; tale autem præ cæteris esse misericordiam, uti ipsemet in cit. cap. indicavit, dum in processu iudicij potissimùm de misericordia exercita rationem se exturum affirmavit. Etsi verò omnis misericordia ad prædictum finem obtinendum multùm idonea sit, atque adeò oblatio à Virginibus prudentibus præparato comparari queat, specialiter tamen id de misericordia animabus Purgatorij exhibita dici posse; nam 1. juvat ad beatitudinem *certiùs* obtinendam, uti scilicet Tobias senior c. 4. Tob. indicavit dicens: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Quonia eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et confirmat id ipsum S. Hieronymus in epist. ad Nepot. dicens: *non memini me legisse, mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos Intercessores, & impossibile est multorum preces non audiri.* Unde S. Franciscus Xaverius, teste Turfellino, cum Petrus Velleius Mercator Lusitanus eidem eleemosynam potenti clavem dedisset, & quantum vellet, ex cista auferre mandasset, respondit, nunquam misericordiam illi defunctorum, & revelatum iri diem extremum vitæ, ut se ad eundem bene præparare possit; si ergo hoc corporalis eleemosyna potest, quantò magis misericordia animabus Defunctorum exhibita, quæ est multò præstantior, similem gratiam obtinebit; certè de Nobili quodam Nolano Elias à Terefia L. 1. c. 45. refert, ipsum, quia pro dictis animabus frequenter orare solitus erat, quondam de nocte excitatum, atque, ut cui confiteretur, monitum fuisse, quo factò repentina morte obijt. Quòd verò 2. etiam ad *citiùs* obtinendam beatitudinem, atque adeò ad liberationem à Purgatorio conducatur, et

eo colligitur, quòd tales animæ creptæ ex una parte gravitatem Pœnarum Purgatorij, & magnitudinem cælestium gaudiorum clarissimè cognoscant; ex altera verò parte, sicut in omnibus aliis virtutibus, ita in gratitudine perfectæ sint, atque adeò multò magis, quàm Dives Epulo olim Fratibus suis, sollicitæ sint futuræ, ut liberator & Benefactor earundem aut omnino in Purgatorium non veniat, aut citò inde liberetur. Accedit, quòd ipsemet Christus Matth. 25. dixerit: *Quod uni ex minimis meis fecistis; mihi fecistis*; an non ergo, si advertat, quempiam tot animas redemisse hoc beneficium sibi factum reputabit, atque adeò parem mensuram referens, etiam à Purgatorio liberabit? sic certè S. Gertrudi promissit, uti supra in secundo numero ostensum est. Quòd autem 3. etiam abundantius beatitudo per hanc misericordiam obtineatur, ex ipsa præstantia hujus elemosynæ colligitur; cum enim ea omnia ferè septem opera corporalis misericordiæ eminenter in se contineat (uti facilè inductione demonstrari potest) & præterea à gravissimo malo liberet, & summum beneficium, scilicet accelerationem beatitudinis obtineat, an non meritò singulare quoque eidem præmium in cælo respondebit? vide hæc omnia fufius à Montfordo, & in cit. lib. *der heylsamem Kurzwelt* probata.

VI. Ex occasione thematis: *Et cœperunt simul omnes excusare*: Luc. 14. dici potest, valde laudabiliter quidem Concionatores agere, dum suos Auditores frequenter ad misericordiam animabus præstandam incitant; sed exiguum sæpe fructum referre, eò quòd plerique se excusent, & frivolas excusationes obijciant. Nam 1. aliqui se excusant, quòd DEUS in Justitia sua exercenda non sit impediendus, cum nec Magistratus in hac vita libenter habeat, si quis cursum Justitiæ impediatur. Sed his responderi potest, Christum non tantùm Judicem, sed etiam Patrem esse animarum, atque adeò sub hoc saltem titulo optare, ut pro ipsis oretur; alioquin enim non toties misericordiam commendasset, nec tanta beneficia contulisset iis, qui talem misericordiam exercuerunt. Unde dicit potius ad tales Intercessores, quòd David I. 1. Reg. c. 25. ad Abigail dixit: *Benedictus DEVS Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedicta tu, qua prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem.* 2. Alij se excusant, & dicunt, quòd ipsi-

met

met indigeant satisfactione, atque adeò pro se orare, & satisfacere debeant. Sed his respondetur, quòd per talem misericordiam non impediant satisfactionem propriam, sed promoveant; tum quia actus charitatis præstantior majorum quoque satisfactionem & pœnæ diminutionem meretur, tum quia hoc ipso, quòd misericordiam talem exercent, mereatur similem misericordiam; ita ut facilius quis ob illam polliceri sibi liberationem à Purgatorio possit, quàm si sibi talia opera reservasset. Adde, quòd per talem misericordiam apote valde præstantem virtutis actum, magnum gloriæ augmentum procuretur, atque adeò libenter quibuscunque tormentis emi debeat, uti fusiùs in supra cit. libris ostenditur.

3. Alij se excusant, quòd Peccatores viventes in majori necessitate & periculo constituti sint, atque adeò magis etiam pro ipsis sit orandum. Sed his respondetur, quòd his potius fructus impetratorius operum & orationum applicari. Deinde possunt ea conditione animæ liberari, ut pro talibus Peccatoribus orent, quæ oratio efficacior est, quàm si ipsimet pro iisdem orarent & præterea se Peccatores malitiosè in hoc periculum conijciant, atque adeò minus digni sint misericordiâ, quàm animæ. Unde cum hanc objectionem quondam Bertrandus Dominicanus faciens, Peccatoribus magis succurreret, anima quædam ex Purgatorio apparsit, miserabili suo aspectu facillè persuasit, ut sententiam mutaret.

4. Denique alij obijciunt, quòd ipsæmet animæ liberari non cupiant, sed potiùs divinæ Justitiæ satisfacere. Sed his respondendum, quòd paratæ quidem sint ipsæ satisfacere, sed cum sciant ex una parte, quantò perfectius DEUM in cælis laudare & amare possint, ex altera verò parte non ignorent, quòd ipse DEUS desideret, ut alij pro ipsis orent, & satisfaciant, hoc ipso etiam desiderio ipsorum ad beatitudinem augeri, atque adeò eas suspirare cum Davide Ps. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Vide hæc fusiùs deducta in *heylsamem Kurgweil* c. 5. Plures alij similes conceptus facillè ex duodecim fontibus, qui infra assignabuntur cum argumentis ex iisdem deductis, formari poterunt.

S. III.

Exemplar Secundum.

Quomodo in Sepultum Exhortatio institui possit.

Thema.

Lazarus Amicus noster dormit. Jo. 11.

Scopus.

Ostendendum, quod Mors iustorum sit similis Somno, atque hinc defuncto qui merito pie obiisse creditur, Felix nox id est, Requies sit apprecanda.

EXORDIUM.

Rectè Christus de Lazaro mortuo dixit. *Lazarus Amicus noster dormit.* Jo. 11. Sed & alibi Matth. c. 9. *Non est mortua puella, sed dormit.* Nam magnam similitudinem cum Somno mors Iustorum habet. Primò enim sicuti dormientes cessant à laboribus, ita & Iusti post Mortem, ut clarè testatus est DEUS ipse Apoc. 14. dum dixit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dixit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos;* unde & S. David Pf. 4. dixit. *In pace in idipsum dormiam. & requiescam.* 2. Sicut dormientes ab omni cura liberi sunt, ita & Iusti post mortem; ibi enim verificabitur, quod DEUS Levit. 26. promisit: *Dabo pacem in sinibus vestris. Dormietis, & non erit, qui exterreat.* ibi propriè implebitur, quod Salomon Prov. 12. dixit. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* 3. Sicut dormientes exterius quidem mortui apparent, interius autem quoad cor vivunt, & vitales operationes eliciunt; ita & iusti, etsi quoad corpus verè mortui sint, quoad animam tamen vivunt in DEO, & perfectissimas operationes eliciunt, quatenus in Amore DEI & laude jugiter occupantur. Unde ipsi vel maximè cum Sponsa Cant. 5. dicere queunt. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hinc sicuti dormientes Scimus completa nocte Surrecturos; ita & iusti sciunt, se ubi dies ille tremendus universalis Iudicij illuxerit, etiam quoad corpus de Somno mortis Surrecturos, uti S. Job. c. 19. testatus est, dum dixit: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra Surrecturus sum, & rursum*

sum

sum circumdabor pelle mea, & in carne mea video DEVM.
 Rectè ergò dixit Christus de Lazaro: *Lazarus, Amicus noster dormit;* nam dicere quasi voluit, quia Lazarus amicus noster, & meus præcipuus Amicus est, ideo Mors ejus non interitus, sed Somnus est.

Quæ cum ita sint, meritò & nos de mortuo nostro Philippo dicere possumus. Philippus Amicus noster dormit. Quidni enim dormire cum, & suo tempore ad vitam æternam resurrecturum credamus, quem morte tam beata in Domino obiisse novimus? Si enim in Domino mori dicuntur, qui in Gratia DEI moriuntur, an non in Domino mortuum Philippum nostrum dicamus, qui omnibus Sacramentis munitus inter pia suspiria Animam efflavit, & SS. nomina JESUS & MARIA, per quorù devotâ pronuntiatione indulgentias Plenarias ex privilegio Congregationis S. Rosarij lucrari licet, paulò ante mortem tenerimo fiducie affectu pronuntiavit dicens: O JESU & MARIA, Estote mecum in via? Si in Domino mori dicuntur, qui vitam piè & Sanctè tradiderunt, juxta illud adagium: Sicut vita, Mors ita; an non in Domino mortuum Philippum nostrum credamus, qui officiis divinis, quamdiu vixit, tam religiosè interfuit; qui Sacramenta tam frequenter ac devotè frequentavit; qui pacem cum Proximo tam studiosè coluit; qui omnia adversa de manu DEI tam patienter, gratòque animo acceptavit? Si in Domino mori dicuntur, qui in opere & obsequio DEI occupati moriuntur, an non iterum Philippum nostrum in Domino mortuù credamus, qui inter ipsos labores, quos propter DEUM obire, & indefessâ diligentia continuare solebat, comprehensus in mortem incidit. Si denique in Domino mori dicuntur, qui cum S. Paulo desiderium habuerunt, dissolvi & esse cum Christo, au non meritò Philippum nostrum in Domino mortuum dicemus, qui tantoperè ad cælum anhelabat, & illud S. Davidis suspirium cum tanto affectu pronuntiabat. *Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine, virtus umbræ, concupiscit, & deficit Anima mea in atria Domini, Cor meum & Caro mea exultaverunt in DEVM vivum. Ps. 83.* Et iterum: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te DEVS.* Ah: *Quando veniam & apparebo ante faciem DEI.* Si ergò dormit Philippus noster.

an non cum Discipulis Christi Jo. 11. dicere possumus: *Si dormit, Salvus erit?* An non saluberrimam S. Pauli doctrinam 1. Thess. 4. nobis applicamus: *Nolo, Fratres, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent; Si enim credimus, quod DEVS mortuus est, & resurrexit, ita & DEVS eos, qui dormierunt per IESVM, adducet cum eo.* Itaque consolamini in verbis istis, & sicut dormientibus felicem noctem & requiem precari soletis, & diligenter cavetis, ne strepitu aut loquela clariore eorum quietem turbetis, ita & Philippo nostro similem noctem optate, dicentes cum Ecclesia: *Requiescat in Pace.* Cavete etiam sedulo, ne nimio luctu aut evitatu hanc ejus quietem turbetis, sed potius in silentio suum ei somnum gratulemini, & si forte per dolores & pœnas Purgatorij non nihil turbata esset hæc quies illius, vestris precibus & auxiliis causas hujusurbationis removere studeatis, quousque tandem & vos precibus illius adjuti feliciter in Domino obdormiatis, & cum ipso requiem æternam possidere mereamini. Amen.

Similem in modum etiam aliæ Exhortationes funebres institui possunt; quæ, quia in aliquibus locis ad quodvis etiam minimi Mendici aut Infantis funus haberi debent & sæpe eo tempore, quo vel aliæ concionès faciendæ, vel alia gravia negotia peragenda sunt, adeoque grandem Neo-Parochi in iis instituendis difficultatem patiuntur, ut non semel ipsimet mihi sunt fassi, idèò ut hanc quoque difficultatem aliquantum imminuam, placuit diversos conceptus ex duodecim supra enumeratis fontibus petitos huc apponere, ita tamen, ut, quoniam operosum nimis foret, & ipsis etiam Lectoribus fastidiosum conceptus tales fusiùs deducere, solum prope modum thema & argumentum indicasse contentus, reliqua ipsi Exhortatori in Exhortationis formam redigenda commissurus sim; cui quidem, cum ejusmodi Exhortationes vix ultra quadrantem horæ institui soleant, non erit difficile, ejusmodi conceptus dilatare, maximè si ex ipsa etiam Defuncti vita, aliqua laudabiliter acta desumat, & commendet.

FONS I.

Exhortationum pro Defunctis ex vita
Defuncti.

Fons primus meritò vita & virtutes Defuncti statuuntur. Ex his enim solis vera materia laudis desumitur. Uo delictet in eiusmodi Concionibus & Exhortationibus funebribus etiam Naturæ vel fortunæ dotes commemorari possint, id tamen patciùs convenit fieri, & ita, ut ostendatur benè illis usus fuisse defunctus; sic enim & illæ in materiam laudis transibunt, Auditoribusque materiam imitationis offerent.

Porro ex hoc Fonte varij modi Exhortationes funebres instituendi profluunt; nam interdum solùm in Genere demonstrari potest, quantopere fuerit defunctus virtuti deditus, quandoque in specie ad varias virtutes descendi, atque hoc iterum duplici modo fieri potest, ut scilicet vel aperte & simpliciter unam vel plures virtutes ab eo exercitasse probetur, vel certè sub Schemate alicujus similitudinis ex ipsius virtutibus ejus petita, facta illustriora illius commemorentur, quorum omnium modorum materiam breviter hic exhibeo. I. Ergo in Genere de virtute loquendo ostendi potest ex occasione illius sententiæ S. Pauli 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis*, quomodo Defuncto Pietas, sub qua aliqui virtutem intelligunt, utilis fuerit ad benedictionem in temporalibus juxta illud Matth. 6. *Quærite ergò primum regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* 2. Quomodo ei utilis fuerit ad beatam mortem, à qua pendet tota æternitas juxta commune Adagium: *Sicuti vita, mors ita, Et mors est Echo vite.* Tertio quomodo ei utilis fuerit ad magnam Gloriam in cælo comparandam. Quia veræ divitiæ ex solz sunt juxta D. Bernardum, quæ nos virtutibus divites faciunt; nam illæ solùm intelliguntur per thesaurum, de quo Christus Matth. 6. dixit. *Thesaurizate vobis thesaurum in calis, ubi nec arugo, neque tinea demolitur, & ubi furcs non sfodiunt, nec furantur.*

II. Ex occasione Thematis: *Mihi autem nimis honorificati*

cati sunt amici tui DEVS: Ps. 138. ostendatur primò quantus Honor sit esse amicum DÈI, ex comparatione honoris qui amicis Regum in hac vita exhibetur, & ex illo dicto Davidis 1. Reg. 18. *Num parùm videtur vobis esse Generum Regis?*

1. Ostendatur, quomodo defunctus ad hunc honorem per solam suam virtutem venerit, nam juxta S. Bernardum in quodam serm. *Virtus Mater Gloria est; Sola enim est, cui Gloria dari debetur, & securè impenditur.* Id quod Romani duplici templo indicârunt, quorum alterum Virtuti, alterum Honori fuerat exstructum, sed tali situ, ut nulli ad Honoris templum aditus pateret, nisi prius per virtutis templum transisset.

III. Ex occasione illius Thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc. 14. ostendi potest, quòd defunctus imitatus fuerit illum Regem, de quo S. Barlaam in Parabola dixerat, quòd, cum in regno quodam consuetudo fuisset, ut Rex non nisi per annum viveret, postea verò in exilium mitteretur, ille utpote cæteris sapientior, illo anno occultè suas divitias in locum, in quem mittendus fuerat post annum elapsum, præmiserit, & sic beatè vixerit. Dicatur itaque Regem tale hunc mundum esse, Regi verò illi Defunctum similem esse. Excitentur Auditores ad idem faciendum.

IV. Ex occasione illius thematis: *Dulcis est Somnus operanti.* Eccl. 5. ostendatur. Primò, quomodo Somnus & Mors in multis similes sint, atque adeò rectè inter se comparantur, uti in §. 3. supra videre est. 2. Quomodo Somnus hic seu mors Defuncto operanti, id est, rectè & virtuosè viventi valde dulcis fuerit, juxta illud Thom. Kemp. 1. 1. c. 25. *Gaudes semper vesperè, si diem in sumas fructuosè;* eò quòd nunc auditurus sit illud Christi Matth. 25. *Intra in Gaudium Domini tui,* & Jo. 16. *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Excitetur proin Auditor ad congaudendum, juxta illud Rom. 12. *Gaudete cum Gaudentibus,* & 1. Col. 12. sive gloriatur unum membrum, congaudent cætera membra.

V. Ex occasione illius thematis: *Negotiamini, dum vivo.* Luc. 19. ostendi potest primò quàm benè S. Gregorius Nazianz. & alij SS. PP. vitam hanc comparârint nundinis, quia nunc tempus est emendi necessaria pro æterna vita; quia autem brevi tempore itaque finitis non amplius est occasio

instru. VII. D d cmen-

emendi; quia nemini offertur merx ulla, id est, Gratia sine
 jus ad Gloriam alterius vitæ, nisi pro pretio bonorum juxta
 illud S. Pauli 2. Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante
 tribunal Christi, ut referat unusquisque propriam corporis, prout
 gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Ostendatur, quàm benè
 Negotiatoris officio in his nudinis functus sit defunctus,
 quàm diligenter rationem temporis habuerit juxta illud
 Eccl. 14. *Non defraudèris à die bono, & particula boni datus
 non te praterat;* & illud S. Pauli Eph. 5. *videte fratres, quo
 modo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes,
 redimentes tempus:* quàm feliciter & non patcè expendat
 pretium pro mercibus, id est, conditiones ad bonum & me-
 ritorium opus requisitas (ut scilicet sit bonum, vel saltem
 differens, & in gratiâ, ac cum bona intentione fiat) obser-
 uerit: quàm studiosè semper optimas merces, & apud optimum
 mercatorem DEUM emerit; quàm fuerit sollicitus in in-
 dem suis mercibus per viam securiorem, id est, per humilita-
 tem ad Patriam suam cælestem præmittendis, quàmque ad-
 eò cautè inanem gloriam velut infestam Prædatricem dete-
 ctarit. Invitandi proin Auditores, ut in Societatem Nego-
 tiationis veniant, & industrias ab eo observatas & ipsi dili-
 genter observare studeant.

VI. Ex occasione illius Thematidis: *Spectaculum facti-
 sumus Mundo, Angelis & Hominibus* 1. Cor. 4. ostendi potest.
 Quàm benè Actoris officio functus sit is, qui sepelitur, &
 1. quidem quàm benè contentus fuerit suâ Personâ juxta il-
 lud: Eccl. 11. *Confide autem DEO, & mane in loco tuo; facti-
 le est enim in oculis DEI subitò honestare pauperem.* Et illud
 Epicteti c. 23. *Actorem esse Fabula talis, qualis Magistro præ-
 data fuerit, te memento. Si brevis, brevis: Si longa, longa.
 Si Medicum te agere volueris, fac eam quoque Personam impo-
 nitiosè representas. Ita si claudum, si Principem, si plebeum; ut
 enim tuum est, datam Personam benè assignere; eam autem as-
 gere, alterius.* 2. Quàm diligenter inquiserit quid ad suam
 Personam requiratur, & quàm studiosè id impleverit, memet
 Doctrinæ Sapientissimæ à Seneca datæ Epist. 24. *Quomodo
 Fabula, sic vita: Non quamdiu, sed quàm benè sit acta, respice,
 nil ad rem pertinet, quo loco desinas; quocunque volēs, desine,
 tantùm bonam clausulam impone.* 3. Quàm maturè inceperit

suam Personam sustinere, & non, ut alij homines, in fine primum cœperit, Personam suam agere, memor præcepti à DEO per Siracidem Eccl. c. 5. dati: *Ne differas de die in diem*: Et illius Matth. 24. *Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* 4. Quàm generosè hominum iudicia, actiones ipsius contemnentium, spreverit, & cum S. Paulo dixerit. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. 1. Sciens nempe, quòd, ut S. Climacus prudenter dicit, *prima virtus Monachi, (& verò etiam cujusque Christiani) sit hominum iudicia contemnere.* E contrario verò oculos suos semper ad Spectatorem suum primum convertit, dicens: cum S. David Ps. 122. *Ad te levavi oculos, quâ habitas in calis*: & cum S. Stephano Act. 7. *Ecce video calos apertos & Filium hominis stantem à dextris virtutis DEI.* Animandi proin Auditores ad Simile Spectaculum DEO exhibendum.

VII. Ex occasione Thematibus: *Dum sumas in corpore, peregrinamur à Domino,* 2. Cor. 5. ostendi potest, quomodo Peregrini officium impleverit defunctus & 1. quidem, quomodo illud S. Petri 1. c. 2. observârit: *Obsecro vos tanquam Advenas & Peregrinos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* 2. Quomodo arctam quidem, sed breviorē, & securiorē viam, scilicet Crucis elegerit, de qua Christus Matth. 7. dixit: *Arctâ est via, quæ ducit ad vitam & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Thomas Kemp. l. 1. c. 12. *non est alia via ad vitam, & ad inter nam veram pacem, nisi via S. Crucis & quotidiane mortificationis.* *Ambula ubi vis; Quare, quodcunque volueris, & non invenies altiorē viam supra, nec securiorē viam infra, nisi viam S. Crucis.* 3. Quomodo non curaverit, quid ab aliis ageretur, sed solius sui itineris rationem habuerit juxta Consiliū Christi Jo. 21. *Quid ad te? tu me sequere*: & juxta illud Thomæ Kemp. l. c. 3. c. 24. *Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere sollicitudines. Quid ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut sic sit, & sic agit vel loquitur? tu non indiges pro aliis respondere, sed pro te ipso rationem reddes. Quid Ergò te implicat?* 4. Quàm constanter inter omnes tempestates, & pericula perrexit, semper se consolans felicitate termini & patriæ, ad quam properabat, atque ad eò sibi illud S. Pauli Rom. 8. in

memoriam assiduò revocans: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram Gloriam, qua revelabitur in nobis.* Excitandi proin Auditores ad comitandum illum per verba ejusdem pij Ascetæ l. 3. c. 56. *Eia fratres pergamus simul, sequamur viriliter, nemo metuat Terrores &c.*

VIII. Ex occasione Thematis: *Militia est vita hominis super Terram* Job. 7. ostendi potest, quàm præclare militi officio sit functus, qui obiit; & primò quidem, quomodo articulos militiæ Christianæ nempe decem Præcepta DEI & quinque Præcepta Ecclesiæ studiosè observârit, illudque Davidis Ps. 118. assiduè in mente habuerit. *Iuravi, & tui custodire iudicia iustitia tua.* 2. Quàm accuratè illum S. Pauli 2. Tim. 3. observaverit: *Labora sicut bonus miles Christi IESU. Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* 3. Quàm fortiter contra hostes certârit, in certamine ad finem usque perseveraverit, sicque cum veritate illud S. Pauli 2. Tim. 4. usurpare potuerit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo est mihi reposita Corona iustitia, quam tradat mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Excitandi Auditores ad gratulandam defuncto victoriam, animosque, illum Exemplo ad paria certamina sumendos: Serviet cum benenem pro Epilogo pulcherrima illa S. Chrysostomi sententia de SS. Mart. *Vnde tu Christiane delicatus es miles, si putares posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exortor te, fortiter dimica, atrociter in pralio isto concerta: Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: Pactum, quod spopondisti: Conditionem, quâ accessisti; Militiam, cui nomen dedisti,*

VIII. Ex occasione Thematis: *Euge serve bone & fidelis* Matth. 15. ostendi potest, quòd veri & fidelis servi conditiones impleverit Defunctus. Et 1. quidem quàm fideliter expleverit voluntatem Domini sui, ita ut de eo dicere posset DEUS illud Ps. 88. & Act. 13. *Inveni servum meum, quem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* 2. Quàm fideliter talenta duo sibi concredita, Corporis scilicet & Animæ vires, expendere, & lucratus sit cum illis alia duo talenta Charitatem scilicet DEI & Proximi. 3. Quàm fideliter vigilaverit, & Adventum Domini sui expectaverit, habens lucidior

cinctos lumbos per continentiam seu declinationem à malo, & lucernas ardeutes in manibus per fervidam & constantem operationem boni. Adhortandi AA. ut discant à defuncto servite DEO, ut cum eo olim audire possint pariter: *Euge servite bene & Fidelis, quia in pauca &c.*

IX. Ex occasione Themat. *Voca Operarios, & redde illi mercedem* Matth. 20. ostendi potest, quàm sedulò laborâre defunctus in vinea Domini. 1. Eam fodiendo, per humilitatem ad infima semper tendentem. 2. Plantando vites potentiarum & Appetituum suorum. Atque inutilia Germina, hoc est, desideria & actiones vanas amputando per mortificationis studium. 3. Alligando stipiti crucifixi Christi per veram patientiam & imitationem illius. Hortandi Auditores, ne invidiant, ut alij operarij Evangelici, quod jam acceperit suum denarium, sed potius ei gratulentur, & ut cum eo olim & ipsi suam mercedem accipere mereantur, ejusdem in hac vita laboris sedulitatem imitari studeant.

X. Ex occasione Themat. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* Luc. 22. ostendi potest, quàm fidelis DEI amicus fuerit defunctus. Eum in finem exponi possunt variaz tentationes, mundi, Carnis, & Diaboli juxta illud S. Joan. 1. c. 2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est. Et concupiscentia oculorum, & visa Superbia.* Dein ostendi potest, quàm constanter in iis tentationibus adhæserit DEO, usurpans illud S. Pauli Rom. 8. *Quis me separabit à charitate DEI?* Tandem explicari poterit, quomodo DEUS huic amico disposuerit, ut edat & bibat in regno cælorum; unde affectus Gratulationis & desiderium similis Amicitiaz excitandum.

XI. Ex occasione Themat. *Iusti fulgebunt sicut sol.* Matth. 13. ostendi potest, quomodo Defunctus etiam justus fuerit, & ut Sol fullerit, dum videbatur parvus hominibus, in se autem & coram DEO valdè magnus fuit juxta illud pij Ascetæ l. 1. c. 3. *verè magnus est, qui veram charitatem habet & verè magnus, qui in se parvus est & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* 2. Ut sol alios calefecerit calore charitatis, illuminarit verò per lucem doctrinæ & bonorum Exemplorum. 3. Ut sol celerrimè, id est, cum magna alacritate ac fervore Zodiacum, id est Terminum actionum sibi à DEO præscri-

ptarum percurrerit, neque extra semitam vocationis & status sui exerrarit. 4. Ut sol per interpositionem terrae nunc Eclypsin passus sit, sed suo tempore iucundius fulsurus. Excitandi ad hanc Eclypsin, Auditores, benè considerandam, & que ad condolentiam tantisper ostendendam, donec iterum fulgere incipiat.

Ex occasione Thematis: *Non est vir in domo sua, abierit regionem longissimam.* Prov. 7. ostendi potest. 1. Quòd quisvis Homo tres habeat domos, mundum, materialem suam domum, & corpus juxta illud Apost. 2. Cor. 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur &c.* jam autem post mortem verum sit dicere: *Non est in domo sua,* quoniam omnes tres deseruit. 2. Quòd per viam abierit longissimam, per viam scilicet aeternitatis. Sed cum accipere sibi regnum, ut Luc. 19. dicitur, & revertis ita enim nobis persuadet, quòd 30. Sacculum pecuniae sequi tuis, non est, virtutes & bona opera sua juxta illud Ap. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* 4. Quòd *in die plena luna reversus est in domum suam,* id est, in die iudicij, quia tunc apparebunt omnia. Hortandi ergò Auditores, ut non nimis lugent abeuntem, sed potius gratulentur, & ut aliquando simile Regnum queant acquirere, interea insignem Sacculum pecuniae praeparent per bonorum operum constans Exercitium.

Pro Mulieribus.

I. Primò pro his speciatim. Ex occasione Thematis: *Mulierem fortem quis inveniat* Prov. 31. ostendi potest, quàm fortis fuerit defuncta. 1. In vincenda seipsa, de qua victor Thom. Kemp. l. 1. c. 3. loquitur: *Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere seipsum?* & iterum l. 3. c. 1. *perfecta victoria est, de semetipso triumphare;* qui enim semetipsum subiectum tenet, ut Sensualitas rationi, & Ratio in carnis obedientia mihi hic verè victor est sui, & Dominus mundi. 2. In vincendis adversitatibus juxta illud Prov. 16. *Melior est patientia viro forti.* 3. In vincendo mortis timore juxta illud 1. Cor. 15. *Absorpta est Mors in victoria;* ubi est Mors victoria tua? ubi stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est, quem proin confregisse ostendatur mortua per perfectam peccatorum confessionem, & alia media. Laudetur proinde

juxta illud Prov. 31. *Surrexerunt Filii eius & beatissimam predicaverunt: vir eius, & laudavit eam.*

II. Ex occasione Thematidis: *Confidit in ea cor viri sui, & non indigabit spoliis.* Prov. 39. ostendi potest. Quam bene administravit familiam, ut Maritus nullam penè sollicitudinem habere debuerit. Et 1. quidem, quòd confusus sit in ejus vitæ honestate; Quia ante omnia quæsit Regnum DEI, Justitiam ejus, ac propterea effecit, ut omnia necessaria DEUS copiose submitteret. 2. Quòd confusus sit in ejus peritia & prudentia œconomica, quâ etiam per laborem & industriam suam ipsi Marito & Domesticis sollicitè cibos & alia necessaria providit, juxta illud: *Reddet ei Bonum & non malum omnibus diebus vita sua.* Prov. 30. Quòd confusus sit in ejus prudentia familiæ Gubernativa, quâ ita liberos & Famulos direxit, & instruxit, ut simul in virtute & scientiis vel bonis artibus proficerent; sicque dici posset, quòd omnes ejus Domestici vestiti essent duplicibus. 4. Quòd sit Confusus in amore conjugali ipsius, quo omnes ejus molestiæ & labores non parùm sunt revelatæ. Nam duo boves cum concordia & quiete jugum portantes, non levi sibi laboris levamen conciliant. Hortandi Ergo Auditores, ut laudent cum viro illius defunctam, atque ut has tanto certius obtineant, ipsi vicissim pro ea orent.

III. Ex occasione Thematidis: *Quæsit lanam & linum* Prov. 31. commendari potest singularis industria Defunctæ, & primò ostendi, quomodo in sensu literali quæserit lanam & linum, id est, domi suæ manserit, atque ad otium vitandum familiamque sustendam honesto se labore occupavit. Secuta Consilium S. Hieronymi Demetriadi datum: *Habes lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in Alveolis fusi vertantur; & sic operata sit consilio manuum suarum, id est, cum prudentia eligens labores potius utiles, quàm occupationes vanas & noxias aliarum mulierum morem Sectando.* 2. Quomodo in sensu Spirituali quæserit lanam & linum, nempe juxta Explicationem S. Augustini Ser. 12. de temp. Sic loquentis. *Quid est lana, quid est linum? Lana carnale aliquid, linum vero spirituale aliquid significat, quia in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lana vero exteriora. Lana*

etiam de commistione animalium nascitur; Linum verò sine carnis voluptate generatur de terra, imò castitatis imaginem præferre videtur in tantum, ut Sacerdos veteris testamenti ex præcepto legis propter castitatis indicium, lineis femoralibus uteretur; ostendendum proinde quomodo utraque quæsitur defuncta, & propterea collaudanda.

IV. Ex occasione Thematis. *Facta est quasi navis lapsæ de longè portans panem suum.* Prov. 31. ostendi potest, quàm bene officia matris familias obierit. 1. Excipiendo omnes Domesticos, materno affectu & sinu, ut Navis eos, qui vehuntur in ea. 2. Omnes fluctus aduersitatum pro iis sustinendo fortiter & constanter, ut Navis procellas. 3. Portans panem, quotidianas necessitates de longè, id est, de celo precibus suis & industria copiosam a DEO benedictionem obtinendo. Hinc excitandus Auditor, ut cum Domesticis exurgat in laudes illius & Beatissimam prædicet.

V. Ex occasione Thematis: *Gustavit & vidit, quia bona est Negociatio eius.* Prov. 31. ostendi potest, quàm bene negotiata sit defuncta. Primò quia honesto semper labore utillique occupata erat. Hinc emit agrum, & plantavit vineam de fructu manuum suarum. Quia diligenter laboravit, & benè nam accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. 3. Quia constanter laboravit, etiam in nocte tribulationum, non permittens, ut sua vigilantia & industria, que per lucernam intelligitur, ob varias difficultates & aduersa intermitteretur. Hinc meritò Gratulationem & amorem promerita censenda est.

VI. Ex occasione Thematis: *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Prov. 31. ostendi potest, quomodo artem nendi spiritualiter exercuerit, & 1. quidem colum, qui per fortia juxta Interpretes passim intelligitur, ex optima & tenerrima materia compositum apprehenderit, id est, in bonis & honestis actionibus semper occupata fuerit, otij gravissima Hostis. 2. Suos digitos in fulmiferis, id est, per intentionem bonam effecerit meritoria. Ita S. Augustinus explicat his verbis: *digiti huius manus omnes electi, qui apprehenderunt fusum, id est, Rectitudinem intentionis, per quæ omnia opera quasi facta in orbè aternitatis retorquentur.* Et infra: *Per colum significatur vita temporalis, per fusum intentio*

boni operis: colus quidem in sinistra ponitur & fuso lana per li-
num in dexteram retorquetur, quod est rectè nare; Hoc autem
fit, quando temporalia & humana sic exercentur, ut per bonam
attentionem quasi in filum ducta ad aeterni spiritualisque merito
conditionem transgant. Hinc iterum Gratulatio & imitatio-
nis studium excitandum.

VII. Ex occasione thematis: *Manum suam aperuit ino-
pi, & palmas suas extendit ad pauperem* Prov. 30. Potest com-
mendari singularis misericordia defunctæ, quam tum erga
vives, tum erga defunctos ostendit, & inde probari, quod
merito spes concipiatur de illius salute, quamque vicissim sit
digna, ut si fortè ope adhuc indigeat, suas quisque ad eam ma-
nus ac palmas extendat.

VIII. Ex occasione thematis: *Non timebit domus sua à
frigoribus nivis, omnes enim Domestici vestiti sunt duplicibus.*
ostendi potest, quomodo ipsa primùm sibi, postea & Domesti-
cis vestem duplicem providerit, de qua Hugo sic loquitur:
*duplex est vestis, hyemalis & æstivalis; vestem hyemalem dico
virtutes, quibus protegimur contra pluviam & grandinem ten-
tationum, & persecutionum. Eiusmodi sunt patientia, man-
suetudo, humilitas & alia id genus; æstivalem dico virtutes,
quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus,
& contemplationi, qualis est charitas, pietas, devotio, sapien-
tia; quæ omnia tum ipsa defuncta, tum à Domesticiis quo-
modo observata sint, succinctè potest ostendi. Aliqui per ves-
tem duplicem bona præsentia & futuræ vitæ, vel etiam Gra-
tiæ & Gloriæ intelligunt.*

IX. Ex occasione thematis: *Stragulatam vestem fecit
sibi: Byssus & purpura indumentum eius.* Prov. 31, ostendi po-
test, quomodo in primis defuncta sibi fecerit vestem stragu-
latam, id est, diversis figuris, coloribus, liciis varietatam, si-
ve per texturam, sive per acu picturam; per quam Varietas
virtutum puta Modestix, Verecundiæ Taciturnitatio, Humi-
litaris, Charitatis intelligitur. 1. Quomodo byssus, id est,
tela ex preciosissimo lino confecta, quæ singularis Animi, cor-
porisque puritas indicatur, fuerit indumentum ejus. 3. Quo-
modo etiam purpurâ, id est, sanguine Christi, & proprio per
insignem patientiam se vestierit; unde hortandi Auditores,

ut, sicut olim Elias in cælum vectus Elifæo pallium reliquit ita à Defuncta ipsi hæc vestimenta relinqui cupiant.

X. Ex occasione thematis: *Fortitudo & decus in humeris eius, & videbit in die novissimo.* Prov. 31. ostendi potest primo, quomodo per decorem exteriorem seu modestiam, in oculis, fronte, labiis, manibus, pedibus observârit, ita ut de illa dici posset illud S. Ambrosii de B. Virgine prolatum Elogium. *Virgo erat corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: Nil torvum in oculis, nil in verbis procerax, nil in actu inverecondum:* Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis. Figura probitatis. 2. Quomodo etiam fortitudinem induerit ad tolerandam, ut Beda explicat, perverforum Ipsam iridentium & persequentium improbitatem, unde ridebit in die novissimo, quando sentiet verificari, quod Christus Matth. c. 6. promittit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum celorum:* quando irrisores errorem suum agnoscent, & dicent illud Sap. 5. *Nos insensati vitam illorum estimabamus Insaniam.* Adhortandæ mulieres, ut faciant secundum Exemplar.

XI. Ex occasione thematis: *Os suum aperuit Sapientia, & Lex Clementia in lingua eius.* Prov. 31. ostendi potest, quod artem, quæ apud Mulieres raro reperitur, Defuncta optime calluerit, scilicet partem loquendi, quæ in duobus precipue consistit. 1. Ut sapienter aperiat os, id est, ut, sicut Eremita quidam cellæ suæ ostio inscripsit hæc verba: *Necessitas, Utilitas, Charitas,* indicans non apertum iri hoc ostium nisi una ex istis tribus causis cogeret; ita & os non aperiatur, nisi ob unam ex dictis causis, quarum defectu plerumque mulieribus occini potest illud Job. c. 2. *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Defunctæ autem potius illud S. Mechilidii Elogium: quod in vita cap. 5. legitur, dari poterat: *Servabat silentium, ut eam mutam putares: Si loqueretur, tantam Gratiâ faciebat, ut cum Angelo te colloqui putares.* 2. Ut mansueret & charitative quis loquatur, ubi iterum plerumque deficiunt mulieres, de quibus Eccl. cap. 25. *Non est ira super iram mulieris.* De Defuncta autem illud S. Damasceni orat. 1. de Nat. dici poterat. *Sermo eius iucundus ex leni anima procedens*

prædant: & ut Sponſus Cant. 4. dixit, *Favus diſtillans labia tua; mel & lac ſub lingua tua.* Itaque hæc ars ſingulariter omnibus, ſed præcipuè mulieribus commendanda.

XII. Ex occasione thematis: *Conſideravit ſemitas domus ſua, & panem otioſa non comedit.* oſtendi poteſt, quàm inimica fuerit otio Defuncta; utpote quod vel maximè dedecet Mulieres, eâſque in præcipitium omnium vitiorum deducit. 2. Explicari poſſunt labores, præcipuè in cura domus ſuſcepti. Hæc enim cura propriè convenit uxoribus, uti Ariſtoteles lib. 1. de re famil. cap. 3. his verbis indicat: Divinâ Providentia utriuſque natura, Viri ſcilicet, & Mulieris ordinata eſt ad Societatem; Alterum enim robuſtum fecit, alterum imbecillius. Hoc quidem ob timorem cautius; illud propter fortitudinem pugnacius; Et hoc quidem, ut foris ſuppeditaret, quæ neceſſaria ſunt; Illud autem intus eadem conſervaret. Hinc poſſet dici, eam obſervâſſe doctrinam ab amico quopiam alteri malè familiam adminiſtranti datam. dum ei pixidem obtulit, quæ ſchedam hæc verba habentem continebat. *Wiſſt daſſ dir dein Sach wohl geltung? ſieh all Tag ſieſſig zu dein Ding.* Et hanc pixidem quotidie tota in domo circumferre eum juſſit; quod ubi is fecit, haud exiguum rei domeſticæ augmentum advertit. Dicendum in fine hanc pixidem omnibus mulieribus à defuncta pro ſui memoria habenda relictam.

XIII. Ex occasione thematis: *Surrexerunt filii eius, & beatiffimam prædicaverunt: vir eius, & laudavit eam.* Proverb. 13. oſtendi poteſt, quàm bene Matrisfamilias munus Defuncta obierit. 1. Liberos bene educando; unde illi ſurgentes, id eſt, crescentes in Sapientia, ætate & Gratia apud DEUM & Homines, Beatiffimam ipſam opere ipſo prædicaverunt, juxta illud Prov. 15. *Filius ſapiens latificat patrè: Stultus homo deſpicit matrem ſuam.* Ergo ſapiens honorat eam. 2. Familiam bene gubernando, id eſt, cum amore juxta illud S. Hieronymi ad Celantiam: *Familiam tuam ita rege, & conſerve, ut te matrem magis tuorum, quàm Dominam videri valeas, à quibus benignitate potiùs, quàm ſeveritate exige Reverentiam; fidelius & gratius ſemper obſequium, quod ab amore, quàm quod à metu proficiſcitur.* 3. In marito colendo & amando juxta monitum ejuſdem S. Hieronymi: præcipuè aſ-

tem in coniugio venerabili atque immaculato Apostolica Regula ardo teneatur. Servetur imprimis Viro Auctoritas totaque à te discat domus, quantum illi honoris debeat. Tu illum Dominum tuo obsequio, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra, tantò ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Caput enim, ut ait Apostolus, mulieris est vir, nec aliud magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate, unde monendi Auditores, ut & ipsi surgant, & collaudent illam.

XIV. Ex occasione thematis: *Multa Filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31. Dici potest primò quomodo congregaverit veras divitias, de quibus S. Bernardus ait: *Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate; sola autem vera opes sunt, qua nos virtutibus divites efficiunt.* 2. Quomodo in hoc superaverit antiquas mulieres à variis donis laudatas. Estherem in pulchritudine, Juditham in fortitudine, Abigail in prudentia, Liam in fecunditate, Annam Samuelis matrem in pietate. Hinc congratulandum illi ob tales divitias & ad similes comparandas Auditores excitandi.

XV. Ex occasione thematis: *Fallax Gratia & vana est pulchritudo mulier timens dominum ipsa laudabitur.* Prov. 31. ostendi potest, quàm parùm fecerit defuncta pulchritudinem corporalem, & potiùs internæ pulchritudinis rationem habuerit, assiduè in mente gerens sententiam hanc: *Fallax gratia & vana est pulchritudo; quam quidam sic vernaculo sermone & metro expressit:*

Ganz eitel ist Ehr/ Lieb / vnd Günst /
Die Schönheit ist ein blauer Dunst /
Allein das Weib / das lobet Gott /
Zu loben ist vor vnd nach dem Todt.

2. Quanto opere timorem Domini habere studuerit ipsa, declinando à malo seu peccato, & faciendo bonum, id est, mandata DEI adimplendo, & etiam Liberos suos eandem docuerit, dicens ad quemvis illorum ea S. Tobie cap. 4. verba: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEVM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Itaque excitandi Auditores ut & ipsi eam laudent.

XVI. Ex occasione thematis: *Dato ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Prov. 31. ostendi potest. 1. Quomodo jam in cæliis fructum operum suorum receptura sit juxta illud Psal. 127. *Labores manuum tuarum manducabis. Beatus es, & bene tibi eris.* Commendari autem hi fructus ejus possunt à bonitate substantiæ, raritate circumstantiæ, seu qualitatis, & maturitate perseverantiæ; siæ his tribus enim fructus pretiosus non æstimatur. Respondebunt autem etiam in præmio tria similia Gaudia, scilicet Gaudium accidentale ex varijs objectis erga D E U M proveniens: Gaudium substantiale consistens in visione beatifica: Gaudium æternale, id est, ex securitate durationis æternæ oriturum. 2. Quomodo in portis, id est, post mortem, & in die judicii propriè laudanda sit, quia ante mortem necdum securus sumus de perseverantia. Hinc Eccl. 11. cap. dicitur: *ante mortem ne laudes quemquam.* Excitandi proin iterum Auditores ad laudem & gratulationem fructuum.

F O N S I I.

Ex signis Prædestinationis.

EX hoc fonte varij admodum modi pro funebribus exhortationibus erui possunt, sed duo præcipuè, nempe ut signum prædestinationis, vel sub schemate alicujus comparationis, v. g. cum instrumento, via, flore, arbore, frumentoque proponatur, vel simpliciter proferatur, & postea breviter ostendatur, quàm tale signum singulari quodammodo in Defuncto constanter fuerit repertum, unde plerumque Auditores ad gratulationem, & imitationem in tali signo procurando sunt excitandi. Petendo tamen in fine etiam preces, si adhuc indigeret, pro quibus omnibus copiosam materiam hic fons afferet.

Itaque 1. Ex occasione thematis: *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Matt. 16. ostendi potest, quòd defunctus ad imitationem illius Sartoris è Soc. JESU, qui in morte acum suam petijt, eamque in altum elevans dixit, hanc nunc esse Clavem, per quam speret, se regnum cælorum aperturum & ingressurum, Instrumentum illud quo in Opificio suo vel officio usus est, pro sua clave usus sit, eò quòd opera sua omnia propter

DEUM

DEUM perfecerit. Unde dici potest tria in clave reperiri, quo suo modo in opere bono etiam reperuntur. Primo, ut sit rotundæ figuræ, quo significatur Perfectio & bonitas operis. 2. Ut habeat vacuitatem; alioquin enim inferi januæ non posset; quâ vacuitate significatur carentia peccati seu ita Gratiæ, in quo opus fieri debet. 3. Ut applicetur Januæ, quòd fit per intentionem bonam; per hanc enim opus cum regno cælorum, propter quod elici solet, conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Qui me invenerit, invenit vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prov. 8. ostendatur defunctum, per viam lacteam, id est, per B. Virginis colum, & Patrocinium ad cælum pervenisse. Hinc 1. ostendi poterit, quàm meritò B. Virgo viæ lacteæ comparetur, ut quæ est innumeris stellis, id est, virtutibus composita est, & propter summum candorem puritatis tam corporalis, quàm spiritalis candidans apparet. 2. Quomodo per eam tanquam viam certissimam facillimè quisque veniat ad terminum operis beatitudinis. 3. Quomodo defunctus coluerit & honoraverit hanc SS. Virginem, per magnam de illa æstimationem, filialem fiduciam, & quotidianam devotionem per Rosarium aliâsque similes preces & obsequia demonstratam.

III. Ex occasione thematis: *Intrate per angustam portam.* Math. 7. dici potest defunctum per portam humilitatis intrâsse in cælestem civitatem (durch das Einlaß-Thor) itaque 1. ostendatur, Humilitatem esse certum signum Prædestinationis juxta illud Christi effatum, Math. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* 2. Ostendatur, quomodo defunctus exerceverit se constanter in hac virtute, vili pendendo seipsum, & contemptum patienter ferendo, sed & de operibus nil sibi, sed omnia DEO attribuendo. vide Drex. in Zod. Symb. 8.

IV. Ex occasione thematis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc. 9. ostendi potest 1. Viam crucis esse rectissimam, certissimam, & securissimam ad cælum juxta illud Christi Luc. 24. *Nonne hac oportuit pati Christum, & ita intrare in Gloriam suam?* Quomodo defunctus eam ambulârit, dum tribulationes varias tam patienter, alacriter & constanter pertulit, qui fuerit tres Gradus perfectæ patientiæ, vide Drex. Zod. Symb. 8.

V. Ex

V. Ex occasione thematis: *Viam mandatorum incurrere, non dilatasti cor meum* (intellige per affectum charitatis) Ps. 118. ostendi potest primò quàm certa sit hæc via juxta illud Christi Math. 19. *Si ve ad vitam ingredi, serva mandata*; quàm omnes Sancti per eam in cælum intrare debuerunt juxta illud 1. Joan. 5. *Hæc est Charitas DEI, ut mandata eius custodiamus*; quàm incunda juxta illud Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis Eloquia tua: Super malori meo. Quàm plana & facilis juxta illud S. Joan. 1. c. 5. Et mandata eius gravia non sunt.* Hinc ipse invitavit Math. 11. *Tollite iugum meum super vos: Jugum enim suave est, & onus meum leve.* 2. Quomodo defunctus non tantum ambulaverit per hanc viam, sed ecurrerit, id est, magnam alacritatem & fervorem semper in mandatis DEI observandis ostenderit, quod quidem per aliquot Exempla, præcipuè mandata dilectionis DEI & proximi demonstrati potest. vid. Drex. Zod. Symb. 11.

VI. Ex occasione thematis: *Ambules in via bona, & calcei in formam custodias.* Prov. 2. ostendi potest contigisse defuncto adhuc in vita existenti, quod discipulo S. Benedicti evenisse legitur, dum post mortem ejus divus iste in via florida & amæna consistens apparuit, simulque hæc vox audita est: *Hæc est via, quâ dilectus Domini Benedictus calos ascendit*; atque adeò probari potest, 1. quàm bona & certa sit via illa, per quam Sanctus ille, quem defunctus ratione status sui vel alterius causæ in Patronum principalem elegit, & singulari studio coluit, in cælos ascendit. 2. Quomodo in via illius ambulaverit, per varias virtutes, quibus Sanctus ille specialiter ornatus fuerat, & defunctus pro viribus imitari studuit demonstrari potest.

7. Ex occasione thematis: *Ecco ego sepiam viam tuam spinis.* Osæ 3. ostendi potest, viam ad cælos spinosam esse, quia per multas tribulationes oportet introire in Regnum DEI. Act. 14. Hinc S. Catharina Senensis spinosam potiùs, quàm auream coronam à Christo oblatam elegit. 2. Quàm constanter & alacriter defunctus per hanc viam inceserit, & expeperus sit, quòd quondam Christus S. Gertrudi ostendit, dum eadem in specie Parvuli in via spinis obsita apparuit, & præeundo, parvâque cruce spinas removendo, sequi eam jussit iadicare scilicet volens, se suâ passione potiore tribulatione

num perpetiendarum difficultatem remouisse; *Non enim sensit sua vulnera miles, qui Ducis sui vulnera insuetur.* vide Drex. in Zol. Symb. 12.

VIII. Ex occasione thematis: *Ego sum via, veritas, & vita.* Joan. 14. ostendi potest, Christum esse viam regiam, quam ipse Pater cælestis ostenderit, dicens Math. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Et Joan 30. *Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.* 2. Quomodo defunctus hanc viam ambulaverit per imitationem Christi: in pueritia per devotionem & innocentiam: in Adolescentia per profectum in variis artibus & obedientia: in virili ætate per strenuam operationem ad maiorem DEI Gloriam, & per generosam & constantem patientiam.

IX. Ex occasione thematis: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?* Psal. 23. ostendi potest 1. Jerusalem cælestem in alto monte sitam; hinc Christus transfigurare se, Beatitudeque Sanctorum monstrare volens, duxit Discipulos in montem excelsum valde, & eandem causam dixit, quod *Regnum celorum vim patitur, (vil schnauffens koste) & violenti rapiant illud,* Math. 2. 2. Quomodo defunctus ascenderit hunc montem, quia observavit condiciones in eodem Psalmo ad quæstionem datas, & fuit *innocens manibus* (id est. operibus) *& mundo corde, & non accepit in vano animam suam,* sed potius solidas virtutes & gaudia sectatus est. Hinc accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari suo.

X. Ex occasione thematis: *Ambulavit in fortitudine tibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Horeb.* 3. Reg. 19. ostendi potest, varios esse modos perveniendi ad cælos; Alios pedibus, alios equo aut curru tendere, defunctum autem peditem ambulasse cum Elia ad montem Horeb, id est, visionis DEI; Cùm autem in tota vita & præcipuè in monte, difficultate itineris defatigaretur, concionatoribus dictum esse: *Surge, & manduca; Magna enim tibi restat via:* Ideoque tam sollicitè & diligenter, tum in vita frequenter, tum præcipuè in morte per modum vaticii pane candidissimo Angelorum fuisse refectum; unde non dabi-

dicendum esse, qui in fortitudine illius ambulaverit usque ad montem DEI; qui enim manducat dignè hunc panem, vivet in æternum. Drex. Zod. Symb. 3.

XI. Ex occasione thematis: *Sufficit tibi Gratia mea*; Cor. 12. Dicitur potest contigisse defuncto, quod S. Paulo defatigato in certamine, unde eum perinde in itinere ad cælum fatigatum auxilium petiisse, & audivisse à DEO: *Sufficit tibi Gratia mea*, qua; ut Thom. Kemp. l. 2. c. 9. ait, *satis suaviter equitat, quem Gratia DEI portat*. unde primò ostendatur, quàm suaviter & securè ad cælum tendat, qui bonam conscientiam habet, & in Gratia DEI constitutus est, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt*. Et: *quis ascendet in montem Domini? innocens manibus, & mundo corde*. 2. Ostendatur, quàm diligenter & ferventer defunctus sua peccata detestatus sit, & per confessionem delere studuerit, sed & alia mediâ ad gratiam recuperandam & conservandam necessaria adhibuerit. Drex. Zod. S. 10.

XII. Ex occasione thematis: *Ecce Currus igneus & equi ignei dividerunt utrumque*. 4. Reg. c. 2. Dicitur potest, quòd defunctus per Currum igneum Charitatis DEI & proximi, & per equos quatuor igneos, id est, virtutes quatuor morales, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam à perfecta charitate inflammatas in cælum abierit, quæ omnia per partes demonstranda.

XIII. Ex occasione thematis: *Levavit eum ad se in currum*. 4. Reg. 10, v. 15. Primò dicitur potest, defunctum à Iesu, quod nomen idem significat, ac ipse *Existens*, atque adeò Christo propter Deitatem rectè convenit levatum esse in Currum obedientiæ; ita enim eam comparabat S. Dorotheus dicens: Eos, qui secundum proprium arbitrium vivunt, cruces suas manibus aut humeris portare; Eos autem, qui sub obedientia vivunt, in curru vehi, & cruces juxta se positas, simul secum sine onere vehere. Ostendatur ergo 1. quàm bona & jucunda via ad cælum sit obedientia, cum ipse etiam Christus hanc viam præcipuè verbo & exemplo suaserit, obediens factus usque ad mortem crucis. 2. Quotopere defunctus hanc virtutem æstimaverit, amaverit, & exercuerit.

XIV. Ex occasione thematis: *Quis mihi dabit pennas vimbæ, & volabo, & requiescam?* Pl. 54. Dicitur potest secundum

Instruñ, VII,

E c

cundum

cundum Thomam Kemp. l. 2. c. 4. *duabus alis* hominem sollevari à terrenis, simplicitate scilicet, & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, Puritas in affectione. Simplicitas intendit DEUM, Puritas apprehendit, & gustat. Unde potest primò probari, quomodo hæ duæ alæ intentionis & puræ affectionis sint proprium & optimum medium ad celum juxta illud commune Adagium: *Quidquid agant homines intentio iudicat omnes; & omnis Gloria filia Regis ab intus.* Pl. 4. 2. Quàm studiosè se in his duobus charitatis actibus excuerit defunctus. Possunt earundem duarum alarum nomine etiam intelligi duo præcepta Charitatis, DEI & proximi juxta illud Luc. 10. *Quid faciendo vitam æternam possidebitis? Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Et proximum tuum sicut teipsum?* vel sub iisdem alis intelligi possunt duo Capita Justitiæ Christianæ, de quibus David Ps. 37. dixit, *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.*

XV. Ex occasione thematis: *Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Math. 2. Ostendi potest defunctum imitatum fuisse duces generosos, qui civitatem expugnare volentes tormenta mortaria (Mörse) portis urbanis applicant, itaque eas effringunt. Sic ergo & ipsum regnum DEI, quod intra nos est, vim intulisse, dum seipsum, & suas passiones generosè vincere studuit, sicque verificavit illud Thomæ Kemp. l. 1. c. 25. *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* Enumerentur proin aliquot passiones, v. g. Iræ, amoris inordinati, Cupiditatis, Fugæ adversitatum, & difficultatum. Et ostendatur, quàm generosè eas superavit defunctus.

XVI. Ex occasione thematis: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens calos.* Gen. 28. Dicitur potest varios variè hanc scalam interpretari, optimam videri opinionem, quæ ait, per eam intelligi scalam mandatorum DEI, de qua S. David. Ps. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit regulator: Ibunt de virtute in virtutem: videbitur DEVS D-*

rum in Sion. Et, ut S. Augustinus in Pl. 38. ait: *Iter tuum voluntas tua, Amando ascendis, Negligendo descendis; & quanto plus amarveris, tanto plus ascendes*; ostendatur proin, quomodo defunctus per gradus hujus scalæ ascenderit. Potest etiam per scalam istam intelligi amor B. Virginis juxta visionem, quâ Sanctus Franciscus vidit Fratres suos à scala rubra, cui Christus insidebat, dejectos, ad albam, in cujus culmine R. V. apparuerat accelerantes; & facillè ad cælum admissos.

XVII. Ex occasione thematis: *Qui se humiliat, exaltabitur*. Math. 24. Dici potest, defunctum per Cuniculos cælum expugnâsse, dum per humilitatem conatus est cælum ingredi. Ostendatur proinde, quomodo Humilitas sit optima via ad cælum, & quomodo eam Defunctus exercuerit.

XVIII. Ex occasione thematis: *Multum valet deprecatione in se assidua*. Jac. 5. dici potest, defunctum corde suo prosclopeto, fervore pro igne, mortificatione & victoriâ sui pro pulvere, & globulis Rosarii pro globis usum contra hostes suos, & ipsum cælum expugnâsse; nam teste Eccl. 35. oratio humiliantis se penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus exaudiat; ostendatur ergo quàm ferventer & frequenter his globulis usus sit, & quantam inde Gloriam obtinuerit.

XIX. Ex occasione thematis: *Triticum autem congregate in horreum meum*. Math. 13. Probari potest meritò credi posse, quòd defunctus sit in horreum cæleste receptus, eò quòd ut triticum sit bene prius per tribulationes flagellatus (*ausgetroschen*) per sinceram confessionem cribratus (*gerent*) Er à paleis purgatus sit. Si tamen, ut fieri plerumque solet, adhuc aliquæ paleæ adhæsisserint, à quibus in purgatorio igne purgandus sit, rogandi AA. ut suis precibus velut stabello has paleas removerent contentur.

XX. Ex occasione thematis: *Omnis caro fanum, & omnis Gloria eius quasi flos agri*. Isa. 40. ostendi potest, quàm preclarus flos fuerit defunctus; quàm amæno colore variarum virtutum fuerit ornatus; quàm copiosa folia bonorum Exemplorum progerminaverit, & quàm gratum odorem optimi Exempli reliquerit; & quàm vis hunc ipsum mors abolerit, id tamen non alio sine factum, quàm ut in cælestis

Paradisi hortum transplantaretur. Hinc lætum in Agone necre potuisse.

Trug Todt/ komm her/ ich fürcht dich nit/

Trug komm / vnd thu ein Schnitt /

Wirst du mich weck freyen /

Wird man mich verseyen.

In Himmlischen Garten /

Ich will es erwarten.

Frey dich / schönes Blümelein.

XXI. Ex occasione thematis: *Succidite Arborem, & præcidite ramos eius; excutite folia eius: verumtamen Germen radicem eius in terra finite.* Dan. 4. Dicitur potest defunctum similem arbori, quam Nabuchodonosor olim in somno vidit. Nam primò fuisse arborem magnam & fortem; quod enim magnus est, qui magnam Charitatem habet, teste Thomæ Keinp. l. 1. c. 3. *verè magnus est, qui in se parvus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* 2. Proceritatem ejus ad caelos contigisse, propter altissimam intentionem, quam omnibus operibus suis præfigere studuerat. 3. Folia, id est, Proposita, & Desideria ejus pulcherrima, & fructus bonorum operum nimis bonos fuisse. 4. Sub ramis illius bestias & volucres, id est, bonos & malos habitasse, & solatium quaerisse. 5. Ex ea vesci solitam universam carnem; quatenus per copiosam Eleëmofynam innumeros pauperes recreabat. Læcet verò nunc morti dictum sit: *Succidite arborem, & ramos id est, vires corporis, præcidite folia, & fructus excutite;* tamen etiam dictum esse: *verumtamen radicem germen in terra finite,* scilicet spem resurrectionis & transplantationis in cælestem Paradisum; quare etiam se per modicum tempus carere debeant, qui hactenus sub ramis ejus habitabant, tamen per spem hanc solari se debent, quòd suo tempore iterum hanc arborem visuri, & tanto majori cum gaudio iterum fruituri, quanto longiori tempore ejus præsentia caruerunt; & quanto diutius ea fruitio durabit.

XXII. Ex occasione thematis: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Math. 6. Dicitur potest, multa quidem signa esse Prædestinationis, sed vix ullum esse misericordiam comparandum, utpote de quo S. Hieronymus intrepidè dixerit, non meminisse se, quòd legerit, aliquem misericordiam.

la morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eò quòd multos habeat intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non audiri, ut meritò Tobias c. 4. hanc specialiter filio suo commendârit, dicens: *Quantum poteris, esto misericors: Præmium enim bonum thesaurizas in die necessitatis; quoniam Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur ire animam in tenebras; fiducia magna erit coram summo DEO Eleemosyna omnibus facientibus eam.* Itaque potest ostendi, quàm liberaliter & constanter hanc virtutem exercuerit Defunctus. Quàmque ad eò meritò sperari de eo possit, quòd non iverit in tenebras, sed bonam mensuram, coagitatam, confertam & superfluentem, qualem aliis dedit, etiam ipse iteram in sinum suum acceperit.

Nota, simili modo etiam aliæ Beatitudines pro themate assumi, & defuncto applicari possunt, dicique, virtutem talem in themate contentam datam esse à DEO quasi Chirographum, quo ipsum de beatitudine obtinendâ assecurârit.

FONS III.

Ex Motivis succurrendi.

Etiam iste Fons copiosissimam affert materiam pro funebribus Exhortationibus. Tot enim Conceptus ex eo erui possunt, quot titulos in animabus est reperire, quæ ad misericordiam ipsis exhibendam incitare possunt, qui quidem Tituli plurimi sunt, ut mox apparebit.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Estote misericordes, sicut Pater vester celestis misericors est,* Luc. 6. ostendi potest primò, quàm grata sit misericordia æterno Patri, ita ut Christus hujus exercitium specialiter commendârit, & Ecclesia dixerit, illi proprium esse misereri & parcere, quàmque ad eò gratior multò illi futura sit misericordia, quæ filiis ejus in igne purgatorij gravissimè excruciat, præstabitur; Quis enim non credat, gratissimum obsequium Regi alicui præstiturum eum, qui Filium ejus dilectissimum in sævissima Turcæ captivitate detentum, crudelissimèque cruciatum suis sumptibus eriperet, Patrique suo restitueret? Cùm ergo Pater æternus suos Filios infinities magis diligat, quàm pater corporalis. An non meritò quoque creditur incomparabiliter gratius obsequium

quium illi præstitum iri ab eo, qui ex captivitate longè graviori Filios illius eripere studuerit? 2. Quantopere delinctus conatus sit esse verus Filius æterni Patris, servando mandata, tribuendo debitum cultum, & suos Fratres propter Patrem diligendo, etiam inimicos juxta illud Math. 5. *Diligite inimicos vestros, & bene facite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.*

II. Ex occasione thematis: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Math. 25. ostendi potest primò, quam gratum sit obsequium futurum Christo, si animam in purgatorio detentam quis liberet. Certè S. Gertrudi quondam dixit: Qui pro peccatoribus & Animabus purgantibus devotè oraverit, hoc tam diligenter acceptabo, ac si ad me incarceratum crebriùs invisendo, blandis consolationibus suis desolationem meam sublevasset, ut legitur Insinuat. l. 4. cap. 1. Imò tam gratum, ac si me ipsum toties pro pretio à captivitate liberasset; & hoc ipsis indubitanter restituiam in tempore opportuno secundùm omnipotentiam meam liberalissimè pietatis, lib. 5. cap. 21. Inferatur ex hoc, quanta ex una parte ingratitude sit futura, si quis Christo hoc obsequium tam facile præstabile ausit negare; & quantam ex altera parte spem concipere possit purgatorium evadendi, si priùs illum toties eripere studuerit.

III. Ex occasione thematis: *Ad te suspiramus Gementes & flentes in hac lachrymarum valle:* ostendatur primò, quàm B. Virgo specialis sit Advocata purgantium animarum. Nam ipsa S. Brigittæ lib. 6. revel. dixit, nullam esse pœnam in purgatorio, quàm non propter illam remissior fiat, & levior ad ferendum, quàm aliàs fuisset. S. Roboaldo Dominicano quodque Sacrificium pro defuncto ex familia offerenti animam in ulnis portans apparuit, & dixit: Vide Amicum, pro quo Sacrificium Missæ offers, uti l. 2. hist. Dominic. c. 14. scribitur. Imò cuidam S. Personæ revelatum est, eam aliquoties per annum descendere in purgatorium, & innumeras Animas liberare. 2. Ostendatur, cum clamor defuncti ad B. V. modò parùm proficius sit, quàm conveniens sit, ut nos nunc eus loco clamemus: *Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misere-*

rotas oculos ad nos converte, & IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. Quàm libenter B. V. has preces exauditura sit, cum tantopere defunctus eandem dilexerit, & venerari studuerit.

IV. Ex occasione thematis: *Merito haec patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustiam animam illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos tribulatio.* Gen. 42. ostendi potest primò, quàm crudelis fuerit facinus Fratrum Joseph, dum in cisterna clamantem Fratrem non audierunt; quantòque crudelius sit futurum, si Fratrem nostrum Spiritualem ex eodem Christi sanguine natum, non in cisterna, sed in purgatorio inter tormenta patiamur clamare, nec exaudiamus; quam quidem immiseriordiam patheticè S. Augustinus Serm. ad FF. in Eremito describit, dum ait: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare solitant: Clamat porcus, & cum eo ceteri clamare non cessant; Clamat inter tormenta Fidelis, & non est, qui exaudiat. Ecce vestra inhumanitas!* 2. Ostendi potest, quomodo illum excrathere possint AA. scilicet funiculum charitatis fraternæ eidem porrigendo, non verbo tantùm & linguâ, sed opere & veritate demonstratæ.

V. Ex occasione thematis: *Muli unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12. ostendi potest, quomodo quotidiana experientia testetur, quòd, ut S. Paulus 1. Cor. 12. dicit: *Si quid patitur, unum membrum, communiuntur omnia membra;* quàm celeriter, si sinistram manum, vel aliud membrum ignis vel scintilla corripuit, dextra manus subveniat, & ignem remove studeat. 2. Potest inferri, quantò æquiùs sit, ut, cum omnes homines, & Christiani præcipuè sint membra ejusdem corporis, & quidem incomparabiliter præstantioris, mutuam sibi auxiliium præsentent, ignemque sævissimum purgatorii, si fortè is membrum aliquod corripuit, dispellere studeant, simulque unum alterumve medium suggeratur, ad ignem hunc extinguendum. Excitentur proinde Auditores, ad eam Charitatem etiam defuncto tantò copiosius præstandam, quantò arctiùs iisdem per effectum Charitatis & Concordiæ in vita conjunctus esse studeat.

VI. Ex occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini mei*

mei, saltem vos Amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job. 19. Potest ostendi primò, quàm graves sint pœnæ purgatorii, quod scilicet juxta S. Thomam minima pœna illius excedat maximam hujus vitæ; imò ut V. Beda loquitur, gravius sit purgatorii correctio, quàm quidquid passi sunt Latrones, vel SS. Martyres, vel quidquid gravius Homo excogitare potest. 2. Ostendi potest, quàm æquum sit, ut Auditores, qui ratione naturæ, religionis, & aliorum titulorum meritò Amici dici possunt, opem ferant, quam nec cani, nec feli in ignem fortè cadenti negarent; uti præclare S. Augustinus indicavit, dum dixit: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare festinant; clamat porcus, & ceteri cum eo clamare non cessant; clamat inter tormenta Fidelis, & non est, qui adiuvet, ecce vestra inhumanitas!*

VII. Ex occasione thematis: *& vos omnes, qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 3.* ostendi potest primò, quàm verè dicere possint Animæ purgatorii, non esse dolorem suo similem; Id quod facile probari potest, tum testimonio Doctorum, & SS. Patrum; tum etiam testimonio illius Monachi, qui, cum in mortis excessu vidisset tormenta purgatorii, reversus ad se dixit: Nulla hominis lingua exprimere, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multipliciter, & gravitatem suppliciorum, quibus me aspiciente purgandi subdebantur; Testis mihi est DEUS, quia si quis me & cunctos amicos meos accessisset omnibus injuriis & pœnis, quæ possunt homini in hac vita irrogari, vel etiam occidisset, & viderem illum deputatum tormentis à me conspectis, ego millies, si fieri posset mortem pro ejus ereptione subire paratus essem, adeò pœnæ illæ, quæ in purgatorio vidi, excedunt mensuram & modum cujusvis doloris, angustiae, amaritudinis, ac miseriae hujus vitæ; verumtamen, qui ibi dirè admodum cruciantur, paulatim ad tolerabilia transeunt. Ita Ludovicus Blosius in *Moniti. 6. 12.* 2. Ostendi potest, quòd illi, qui transeunt per viam sint mortales hujus vitæ; Ipsi enim propriè adhuc sunt Viatores. Ad hos nunc meritò clamant Animæ, rogantque ut ad gravitatem pœnarum oculos animùmque reflectentes, misericordiae affectum concitare studeant. Hic enim propriè locum habet illud S. Davidis Ps. 38. *In meditatione mea est*

ardescet ignis, charitatis scilicet ad misericordiam impel-
lentis.

VIII. Ex occasione thematis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Pl. 119. ostendi potest primò, quàm gravis efficiatur pœna purgatorii ex temporis diuturnitate, & desiderio videndi DEUM. Potest hoc desiderium siti comparari, quæ meritò excedit omnia tormenta, uti dives Epulo visitatus est, dum de hac sola quæstus est: Potest eum in finem Exemplum afferri ægri illius, qui optione facta per Angelum, maluit tribus horis in purgatorio, quàm tribus annis in lecto manere, sed horâ vix elapsâ ab Angelo visitatus, cum vix horam se insumpsisse in purgatorio audivisset (licet ipse se multis annis ibi fuisse putârit) mutari petijt pœnam; affirmavitque, se libentiùs trecentos annos in morbis, quàm in Purgatorii pœnis horam consumere velle: uti in Spec. Exempl. V. Infirmitas. ex. 7. legitur. 2. Ostendi potest, quomodo, cum defunctus tantâ sit cruciatus pœnâ, petat ab Auditoribus, ut extremum digiti intingant in aquam, id est, saltem pauculas preces & opera pro ipso offerant, sicque pœnas illius relevent; quàm autem durum sit, tam leve obsequium denegare.

IX. Ex occasione thematis: *Sitivit Anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.* Pl. 41. ostendi potest, quàm gravem pœnâ sentiant animæ purgantes ex dilatione beatitudinis, ita ut meritò dicere queant cum David Pl. 41. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEVS tuus?* Si enim Joannes Sancius Sacerdos è Soc. JESU adhuc in hac vita existens tanto ferebatur desiderio in DEUM, ut fastus fieret, si certò sciret, se aliquo die non moriturum, hanc scientiam sibi sufficientem fore ad vitam præ languore eripendam; quantum dolorem & languorem credi par est, animas purgatorii sensuras, quæ haud dubiè desiderio incomparabiliter majore feruntur in DEUM extra, quàm intra corpus. Inferatur proinde, quàm æquum sit, ut, cum defunctus adhuc in hac vita existens desideria suorum amicorum cum tanto labore impleverit, nunc & ipsi vicissim ipsius appetitum tantò citiùs perfectiùsque satiare studeant, quantò levio-
re ad hunc finem est opus.

X. Ex occasione thematis: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi.* Prov. 12. ostendi potest, commune esse proverbium Germanorum: *Kirgen gehen ver saumet nicht / vngerecht. Gut bereicht nicht / Almsen geben erarmet nicht.* Hinc Salomon Prov. 12. dixit: *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Qui dat pauperi, non indigebit.* Id. loco Exemplo testatur est Erdicius civis Romanus, qui, cum famis tempore quadringentos mendicos nutri visset, & fame cessante omnes curribus in patriam revedi iussisset, audivit à DEO: *Erdici, ex hac die non deficiet tibi & semini tuo panis in æternum.* Spec. Exempl. dist. 9. ex. 130. unde inferri potest multò magis hanc benedictionem sperari posse ab iis, qui misericordiam erga purgantes animas præstiterint, suisque operibus effecerint, ut ab Angelis in caelestem patriam deportarentur. Quare adhortandi Auditores, ut, quandoquidem tam præclaram habeant occasionem, similem misericordiam erga defunctum exercendi, eam non negligant, sed certò sibi persuadeant, Defunctum non modò spiritualia, sed etiam temporalia bona illorum de caelo plus deinceps precibus suis promoturum, quàm in terris vivus fecerat.

XI. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos de Monna iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 6. Dicit potest, nunquam nos magis necessarios habere Patronos, quàm in hora mortis & iudicii, quæ ibi agitur de æterna felicitate vel acquirenda, vel amittenda. 2. Probari potest, non esse fideliores amicos, quàm animas è purgatorio liberatas, ut quæ agnoscant magnitudinem collati beneficii, nec destitutæ sint, donec etiam liberatorem suum eò perducant. Hinc aliquando è somno aliquem excitârunt, monueruntque, ut citò confiteretur, qui post confessionem subita morte mortuus est. Sed & de alio scribit P. Stephanus Binellus in lib. de statu anim. cap. 1. Quòd, cum in agone multùm angustiaretur ob timorem iudicii, subitò aër se aperuerit, & decem millia candidissimorum Equorum ad ipsum descenderint, dixerintque: *Bono animo esto, va bone; Nam ad te venimus, ut in hoc ultimo & periculo certamine tibi assistamus, cumque illæ præ gaudio in lacrymas resolutus quæreret, quando tam insperatam gratiam fuisset*

fuisset promeritus? Responderunt illi, se esse animas ipsius precibus & auxilio redemptas, atque adeo acceptum beneficium nunc compensare velle. Itaque excitari possunt Auditores, ad ipsum etiam defunctum sibi amicum faciendum, ut eum suo tempore consolatorem habere possint.

XII. Ex occasione thematis: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Luc. 6. Dicit potest, solere nonnunquam ab aliquibus curiosam hanc quaestionem moveri; quodnam tandem sit hospitium in universo orbe, in quod maxima Pars Viatorum ad tempus diverti solet? Et post varias responsiones & divinationes tandem optima censetur resolutio, quae dicit, illud esse purgatorium: Etsi enim major pars hominum, ut plerique Auctores censent, in infernum detrahatur, hic tamen non ad tempus tantum habitant, atque adeo carcer potius perpetuus dici meretur; At in purgatorio plerique ex Electis ad tempus divertunt, ut purgentur; Quemadmodum tum ex Severitate justitiae divinae; tum ex variis Historiis constat. Cum ergo, ut saepius ostensum est, Purgatorium ob multitudinem & Gravitatem paenarum acerbissimum sit, merito quivis prudens, & salutis suae amans mature sibi de tali remedio prospicit, quod efficacissimum sit, ad se à tali poena liberandum; tale autem medium ab Ascetis reputatur misericordia defunctis praestita; Cum enim ex parte Christi: Quod uni ex minimis suis praestatur, sibi praestitum censeat; Ex altera verò parte promiserit, quod, quae mensura mensi fuerimus, eadem nobis remetendum sit, merito, qui animas saepius, & in his etiam Christum ex purgatorio liberavit, sperare poterit, similem se charitatis mensuram olim accepturum, & aut omnino à purgatorio liberatum iri, aut certe non diu ibi mansurum id quod varijs Historiis confirmari potest. Horretur proin Exhortator Auditores, ut praesentem occasionem defuncto succurrendi tanto promptius accipiant, quanto magis ille propter varios titulos (quos commemorare potest & laudare.) Sed praecipue propter virtutem suam, tale Charitatis officium est promeritus.

XIII. Ex occasione Thematis: *Date & dabitur: mensuram bonam, confertam, coagitatam, & super effluentem dabunt vobis in sinum vestrum.* Luc. 6. Dicit potest, multa quidem esse beneficia, quibus infinita DEI in homines liberalitas provocari possit;

possit; Sed nullum perinde ad hunc finem utile, efficacique esse ac misericordiam. Cū enim DEUS ex una parte creator honoris sui, propriūque illi sit misereri, & parere, nunquā patietur, ut ab homine in liberalitate vincatur, sed potius, ut divitiarum suarum & liberalitatis infinitam abundantiam ostendat, centuplum pro simplici beneficio compensat. Hinc nil adeo S. Scriptura, quā misericordiam commendat. Hinc Mich. c. 6. dicitur: *Inaīcabo tibi, & homo, quid sit bonum* (præ reliquis intellige) *& quid Dominus* (specialiter) *requirat à te, utique facere iudicium & misericordiam.* Hinc Christus misericordiam Patris cælestis dicitur, & nullam aliam virtutem specialem imitandam proponit, dicens Luc. 6. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Quod si autem hæc de quavis misericordia rebus dicuntur, principaliter tamen locum habent in misericordia defunctis præstita, uti ex tribus conditionibus intelligitur, quibus plerumque magnitudo & præstantia misericordiarum estimatur; nimirum primò ex *qualitate persona*, cui datur; quò enim hæc miserior est & dignior, & quò miuùs se iuvare potest, tantò major est Elemosyna; atqui constat, nullam misericordiam cum tormentis purgantium animarum comparari posse. Constat item nullum eis competere remedium ad se liberandas: Constat, esse justissimas, Deòque gratissimas, atque ita dignas tali favore. 2. *Ex qualitate Elemosynæ, seu rei, quæ datur;* quò enim hæc abundantior est, & ad misericordiam tollendam aptior, tantò præstantior est misericordia; atqui auxilium defunctis præstitum amplissimum est, ut patet, quòd omnia misericordiarum corporalis opera eminentiori benignè modo comprehendit, qui enim v.g. Sacrificium missæ vel Communionem pro iis offert, pascit eas SS. Christi corporis potat S. Sanguine, & nectare cælesti; facit cooperiri maledictæ veste Gloriæ; non tantum visitat agros seu afflictos, sed etiam efficaciter à malis liberat; redimit Captivas ex verissimo carcere: facit Peregrinos recipi in cælestem Patriam: Et effectum, qui per Sepulturam potissimum intenditur, scilicet auxilium Spirituale abundanter communicat. 3. *Ex qualitate affectus*, cum quo datur; Quis autem magis affectus esse potest, quā illius, qui se ipsum fructu satisfactionis ad propria debita solvenda necessariò spoliat, ut eum

animabus transcribat non sine periculo, easdem pœnas ex
 defectu solutionis incurrendi? An non hîc verè dicitur, ma-
 iorem charitatem neminem habere, quàm qui dat animam
 pro amico suo? facilis indè erit digressio ad opem pro de-
 functo petendam.

XIV. Ex occasione Thematis. *Noli timere; plures
 enim nobiscum sunt, quàm contra nos.* 4. Reg. cap. 6. Dicit
 potest solere Reges & Principes semper secum corporis Cu-
 stodes (*keibgarde*) habere; idem autem cuivis hominî tan-
 tiò magis procurandum esse, quantò pluribus ab hostibus non
 temporalem duntaxat, sed æternam mortem inferre molien-
 tibus oppugnatur; nullos autem meliores Custodes esse,
 quàm animas, quia hæ præ aliis volunt & possunt iurare: vo-
 lunt, quia beneficij accepti magnitudo eas urget. Possunt,
 quia committante misericordia quodvis auxilium à DEO fa-
 cile impetrant. Hinc Eccl. 20. c. *Conclude Elemosynam in
 suu pauperis, & hac pro te exorabit, ab omni malo.* Si ergò
 Ludovicus Rex Galliarum propria manu Elemosynam pauperi-
 bus distribuit, dicens: hos esse optimos Custodes corporis, &
 Regni sui; Quid ni idem potiori jure erga animas defun-
 ctorum fiat? Afferatur subinde unum vel alterum exem-
 plum, quo ostendatur, quàm fideliter succurrant, & ab hosti-
 bus defendant; v. g. Eusebij Ducis Siciliae, quem contra o-
 strogium 40000. redemptæ animæ in specie candidi Exerci-
 tus defenderunt; aut Militis, quem in Cæmeterio pro ipsis
 orare solitum, mortui è sepulchris prodeuntes contra inimi-
 cos sunt tutati, uti in Spec. Exempl. videre est. Applicatio
 erit facilis ad defunctum. Præcipuè si ostendatur, ipsum in
 vita adhuc valdè sollicitè quævis mala à suis Domesticis
 aliisque addictis propulsasse.

XV. Ex occasione Thematis. *Date nobis de oleo vestro*
Matth. 25. Dicit potest animas defunctas aliqua ex parte pos-
 se comparari Virginibus fatuis, quæ non de sufficienti oleo
 sibi providerant; hinc exclusas ad tempus à cælestibus nu-
 ptis non sine maximo suo dolore: Quia tamen paratus est
 adhuc sponsus eas admittere, ubi lampades sufficienter in-
 structas habuerint, idèò ad nos eas modò clamare: *Date nobis
 de oleo vestro.* Quandoquidem ergo nil nobis decederit, si
 oleum misericordie porriganus; sed illæ certò gratiam &
 occa-

occasionem comparandi novi olei nobis impetratur sunt, liberales esse nos oportet in oleo hoc offerendo; ad quod faciendum exhortandi erunt Auditores illam Tobia c. 4. sententiam usurpando: *Quantum potueris, esto misericors; Eusebiosa enim à morte, & ab omni peccato liberat; & non patitur ire animam in tenebras.*

XVI. Ex occasione Thematis: *Est autem Ierosolym probatica piscina Jo. 5. ostendatur talem piscinam esse purgatorium, in qua jaceat multitudo magna languentium, aridorum, claudorum, cæcorum expectantium aqua morum, id est, lachrymarum, quas viventes pro mortuis effundunt, effictum, sed hominem pro dolor, illas non habere, qui eas in has aquas demittat. Excitandi proin AA. ut ipsi Angeli vice fungantur & has aquas in corde suo moveant, simulque etiam defunctum in has aquas demittant, ut suo tempore, & ipsi similem vicissitudinem expectare possint.*

XVII. Ex occasione Thematis. *Collocavit DEVS ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vita. Gen. 3. Dicitur potest per hunc gladium flammeum, ut S. Bruno in Pl. 1. 1. interpretatur, meritò intelligi purgatorium, utpote per quod perinde arceantur Animæ à Paradiso cælesti, ac per flammeum illum gladium; versatilem verò dici, quia cum celeritate per eum fideles transibunt, & mediantibus viventium suffragiis citò liberabuntur. Exhortandi proinde Auditores, ut dicant cum Davide 2. Reg. c. 24. *vertatur obsecro manus tua contra me, offerantque holocausta & pacifica, ut propitietur DEUS, & plaga à defuncto avertatur.**

XVIII. Ex occasione Thematis: *Petrus versabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione, ab Ecclesia ad DEVM pro eo. Act. cap. 12. n. 5. dici potest idem contingere animabus purgantibus, ut quæ & ipsæ jussu supremi Regis inciduntur in carcere, & dentur quatuor quaternionibus militum id est, Diabolis custodiendi, & per portam ferream, id est, gravissimas pænas & Justitiam divinam cohibeantur, quò minus liberè in cælum evolare possint! Quia tamen ab Ecclesia pro illis sine intermissione oratur, ideò mitti à DEO Angelum, qui dicat: *Surge velociter, circumda tibi vestimentum tuum, id est, Gloria divinæ, ducatque illas ad conspectum**

nam DEI per portam ferream ultrò apertam. Itaque cum
 neceri possit, ne etiam defunctus in istum carcerem conje-
 ctus sit. Excitandi Auditores, ut sine intermissione pro illo
 orent, ut sic & ipse per Angelum è carcere educatur.

XIX. Ex occasione Thematis. *Fer prandium quod
 habes in Babilonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Daniel. 14.
 Dicit potest purgatorium verè dici posse locum leonum, eò
 quod animæ ibi sedeant inter cruciatus, & gravissima fame,
 seu desiderio Beatitudinis vexentur, ac proinde Angelos suos
 Custodes apprehendere nos in vertice, excitando nos ad mi-
 sericordiam & suadendo, ut bona opera, quæ pro nobis ipsis
 paraveramus, ipsis transcribamur & portemus. Quàm pro-
 inde celeriter ac prompta mente descendere ad ipsas cum An-
 gelis debeamus, & dicere: *Serve DEI, tolle prandium* (vel au-
 xilium) *quod tibi misit DEVS.* Et respondebunt illæ haud
 dubio: *Recordatus es mei DEVS, & non dereliquisti diligentes*
 tuos. Applicatio ad defunctum non erit difficilis.

XX. Ex occasione Thematis. *Tunc Nabuchodonosor
 repletus est furore & præcepit, ut succenderetur ignis septuplum,
 quàm succendi consueverat* Dan. 7. Dicit potest, Regis nomine
 iuratio DEUM iratum intelligi; Fornacis autem nomine
 purgatorium, quod, ut S. Bonav. Ser. 3. de mortuis ait, septu-
 plum, id est, universaliter aciùs urit, quàm aliquis ignis, vel
 aliqua pæna præsentis vitæ; Per tres pueros autem DEVM
 benedicentes rectè intelligi animas, ut quæ nil aliud in for-
 nace illa faciunt, nisi DEVM benedicere; Quare nil aliud
 superesse! quàm ut nunc aliquis veniat similis Filio DEI (id
 est misericors, sicut Pater in cælis) & suo auxilio excutiat
 carnem ignis de fornace, & faciat medium fornacis, quasi
 ventum roris flantem; Ad quod proinde officium assumen-
 dum erunt Auditores Excitandi.

FONS IV.

Ex Mediis.

EX hoc fonte plurimi etiam conceptus desumi possunt,
 tot scilicet, quot media suppetunt ad animas liberandas,
 etque vel ideò etiam aptior ad Exhortationes habendas, quia
 medium per aptam aliquam similitudinem proponi & deduci
 potest.

potest. Modò in his & aliis similibus exhortationibus semper studeat Exhortator, ut aliquid ad laudem defuncti perti- nens inferatur, quo ostendatur, dignus esse, ut per tale medi- um ei succurratur.

Itaque I. Ex occasione Thematìs. *Quandoque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat.* Reg. 16. Dici potest per Spiritum domini malum intel- ligi Diabolum; animas in purgatorio cruciantem; per Da- vid ipsum Christum; hic enim est coram DEO pulcherrimus aspectu, decoraque facie, & nimis dilectus; per cytharam autem Eucharistiam, quia hæc per Anagramma idem significat, ac cithara JESU. Per Servos denique Saulis, qui addo- runt & constituerunt David significari pios Christianos, qui vel Communionem vel Sacrificium missæ offerunt pro de- functis; unde ostendendum erit, quàm profit hoc medium liberandis animabus purgantibus; atque ad illud adhiben- dum Auditores Excitandi. vid. *die heilsame Kurgweil* fol. 37.

II. Ex occasione Thematìs. *Sume citharam, circumci- vitatem.* II. 23. Narrari potest fabula de Orpheo, Eurydicem uxorem suam ab inferis per citharam suam reducente. Aut de Ansberta maritum suum per citharam ex Turcæ mani- bus eripiente. Ut P. Jacobus Biderman in suis acroamatibus narrat; & per citharam Eucharistia intelligi, tum propter supra dictum anagramma; tum quia loco corporis citharæ quantitas Eucharistica sine substantia existens; loco fidium verò majorum attributa divina, (puta omnipotentia, Sapien- tia, bonitas, immensitas, immortalitas) minorum verò virtu- tes in eadem Eucharistia elucentes (puta humilitas, Charita- tas, obedientia, zelus gloriæ DEI, Patientia) intelligi possunt; Vel si placet, etiam oratio citharæ comparari potest, juxta illud Ps. 42. *Confitebor tibi in cythara DEVS, quare tris- tis es anima mea (defuncti scilicet) & quare con- sursas. (lachrymis & clamoribus tuis.) Spera in DEO quoniam ad- huc confitebor tibi, (orans pro te) salutare vultus mei & DEVS meus.* Excitandi proinde Auditores, ut sumant citha- ram, & sonare incipiant, nec dubitent, quin animam à sepe- titam efficacius multò, quàm Orpheus Eurydicem sint libe- raturi.

III. Ex occasione Thematis. *Panem & vinum super sepulchram Iusti constitue.* Tob. 4. Dicitur potest, esse laudabilem consuetudinem in aliquibus locis, ut super sepulchro defuncti per aliquot dies cibus & potus constituatur, & postea pauperibus dividatur. Hunc morem autem tantò constantius ergà defunctos observandum, quantò melior occasio offeratur, præstantissimum panem corporis, & vinum sanguinis Christi offerendi, quantòque avidius illum animæ desiderant, utpote præ aliis mediis utilem ad liberationem citius procurandam. Hinc cum quidam alicui aliquot Sacrificia post mortem persolvenda promississet, & legere neglexisset, mortuus apparens graviter de fide non servata questus est; Cumque alter diceret, se multa alia opera pro eo obtulisse, clamavit defunctus: Sanguinem, sanguinem exposco. Certè & Joannes de Alvernia post factam in sacro consecrationem vidit animas velut flammæ ex igne copiosè sursum evolantes uti Dauroltius in catech. histor. c. 8. rit. 21. ex 6. Rectè ergò quidam animas sic loquentes introduxit.

*Wir leyden grosse Hungers-Noth /
Ach Speißt uns mit der Engel-Brod !
Sehr durstig macht uns diese Bluth /
Ach träncket uns mit Christi Bluth !*

Ostendatur subindè, quanto desiderio & devotione defunctus frequenter hunc panem & vinum in vita sumpserit, quantoque adeò vehementius desiderium eorum nunc sit habituras.

IV. Ex occasione Thematis. *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Matth. 4. Dicitur potest, esse quidem commune proverbium. Per pisces & aves multi perièrè Scholares:

*Durch Fischen/und durch Vogel fangen/
Ist mancher Student zu grund gangen.*

Verum artem piscandi animas defunctorum esse non modò non noxiam, sed summè salutarem ad salutem obtinendam. Itaque ostendatur, primò, quæ instrumenta ad hanc piscationem sint necessaria, scilicet intentio velut virga, per quam esca porrigatur: funiculus triplex Charitatis erga DEUM, proximum & seipsum qui proindè difficulter rumpitur. *Hamus*

Instru. VII.

Ff

mus

mus duplex justitiæ & misericordiæ divinæ: Esca varia bonorum operum orationis, Eleemosynæ & jejunij. 2. Quod per hanc piscationem tales pisces attrahantur, qui in ore habeant staterem, quo totum debitum suum homo possit persolvere, atque adeo se & animas à purgatorij pœnis liberant. Itaque excitandi Auditores, ut sibi illud Christi imperium Matth. 16. applicent: *vade ad mare (Purgatorij) & mittes hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & apertis ore eius invenies staterem (charitatis divinæ) & illum sumens da eis pro me & te.* Proderit hunc in finem narratio Historiæ de puero super sepulchrum matris orante, qui visus est aureo hamo, & fuviculo argenteo pulcherrimam animam extrahere, uti in Spec. Ex. d. g. ex 143. refertur. vid. in der heylsamten Kurgweil à fol. 9. usque ad 26.

V. Ex occasione Thematis. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Matth. 17. Dicitur potest aliquos solere ad pisces capiendos appendere pro esca pilulas, ex variis aromatibus confectas, utpote, quas mira aviditate à piscibus devorari. simulquæ hamum attrahit experientia doceat; simile medium autem pro animabus piscandis adhibendum, scilicet Globulos rosarij seu orationem Dominicam, & salutationem angelicam; has enim pilulas, utpote ex præstantissimarum virtutum, encomiorum & petitionum aromatibus compositas ab ipso Christo & Ecclesiæ miram vim habere, ad animas defunctorum ex purgatorio extrahendas. Hinc non semel easdem ipsæmet animæ expetierunt, certè Conradus de ospida, cum pro anima auxilium ab eo poscente orationem Dominicam recitasset, audivit rogantem, ne desisteret ab hac oratione, neque enim explicari posse, quantum inde solatium conciperet; paulò post verò gloriosa apprensus summas pro collato orationis beneficio gratias egit. Hinc meritò quidam sepulchris suorum amicorum hos versiculos inscribi curaverunt.

*Hte lig ich/und schrey über sich/
Geh nicht für über/beth für mich.*

Ostendatur subindè (si cum veritate dici queat) quanto potè etiam defunctus semper orationis fuerit studiosus, quam diligenter & constanter pro defunctis oraverit, quamque adeo mereatur, ut similem misericordiam ipse quoque experiat.

car. Introduci proinde potest ad suos amicos sequentia su-
spira emittens.

Geht wie es mir so übel geht!

Ach helfst mir doch durch viel Gebeth:

Vide in der heylsamem Kurzweil fol. 27.

VI. Ex occasione Thematis. *Ego Daniel iugebam trium hebdomadarum diebus, & posui faciem meam ad dominum DEUM meum, rogare & deprecari in ieiuniis sacco & cinere.* Dan. 10. Dicit potest videri Daniele suo Exemplo confirmare, iam olim viguisse salutarem consuetudinem, trigessimam profanctis celebrandi, & in frequentibus assiduisque precibus infumendi; *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Jac. 5. Sed & ipse DEUS hunc morem approbasse & commendasse videtur, dum Danieli dicto modo oranti dixit: *Noli metere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu DEI tui, exaudita sunt verba tua.* Itaque Excitandi Auditores ad tam salutarem consuetudinem retinendam, & orationem per 30. dies continuandam, memores, quantam sollicitudinem & charitatem defunctus non solum per 30. dies, sed forte etiam annos pro eorum commodis promovendis impenderit.

VII. Ex occasione Thematis. *Conclude eleemosynam in sua pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo* Eccl. 20. Dicit potest inter alia media ad pisces capiendos etiam sanguifugas adhiberi; Eas verò in spirituali piscatione animarum præ reliquis mediis salutare esse; intelligi autem per illas Eleemosynam, utpotè per quam nimie divitiæ, sicuti per sanguifugas nimius sanguis extrahitur; De cujus proin efficacia affertur in primis potest testimonium Eccl. cap. 3. *dicentis: ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis, & DEVS prosector est eius, qui reddet gratiam.* Deinde S. Chrylost. S. 9. super Matth. memorabilis hæc sententia; *Eleemosyna amica DEI consistit & semper ei propinqua est, pro quibuscumque maluerit, facile munus gratia impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem.* Anicim multa fiducia porta cali aperiuntur, & veluti Regina intrante nullus Custodum qui assilunt, audet dicere: *Qua es tu?* vel unde? Sed omnes eam è Regione suspiciunt. Ad hanc

proindè Eleemosynam Excitandi Auditores illis S. Tobie cap. 4. verbis. *Quantum potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribus; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Coronat DEVS voluntatem, inquit S. Augustinus in Pl. 103. ubi non inveni facultatem: nemo dicat: *Non habeo, Caritas de Sacculo non erogatur.* Claudatur postea Exhortatio ostendendo, quòd implenda suo tempore sit altera pars, sententiæ citatæ: Et hæc probe exorabit ab omni malo, nempe peccati, infirmitatis, infortunii, malæ mortis, purgatorij. vide in der heylsamem Furgenfol. 52. ubi in fine junguntur duo versus, qui pro Epilogo adhiberi possunt: Nempè.

Seht/wie die Flammen schlagen auß;

Uch durch Allmosen helfft uns drauß!

VIII. Ex occasione Thematis. *Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram ab initio mensis, donec stillaret aqua super eos de celo; & non dimisit avus lacere eos per diem, neque bestias per noctem 2. Reg. 21. ostendi potest, quomodo ultimum charitatis officium defuncto præstari debeat; quid enim per suspensos filios Saulis aliud intelligitur, inquit Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum. Nisi anima in purgatorio excruciatæ. Has Respha, id est, fidelis amicus juvare debet vigiliis, vel labore initio melliis, hoc est, defectus vitæ in morientibus, secundum quòd Eccl. cap. 2. dicitur: *super mortuum plora; defecit enim lux eius.* Has ab avibus & bestiis, hoc est, Tortoribus Dæmonibus lacere non sinas exorando suppliciter DEUM, nec à labore cesses donec stillet aqua de cælo super infectos & pietate divina eas confidas liberatas; Ita ille. Unde applicatio facilis ad defunctum, tantòque magis impelli possunt, ad hoc obsequium Auditores, quantò magis eidem quocunque titulo conjuncti extiterunt.*

IX. Ex occasione Thematis: *Scitote, quoniam ex auditis precibus vestris si manentes permanseritis, in reatu & orationibus in conspectu Domini Judit. 4. Dici potest, videtur animas purgantes similes illi Lunatico, de quo Matth. c. 17. ait, quòd Pater eum Christo offerens dixerit; Domine misere Filio meo, quia Lunaticus est, & malè patitur, nam sæpe cadit in ignem & crebrò cadit in aquam. Et obruli eum Discipuli*

nis, & non potuerunt eum curare; Nam & hæ animæ utique graviter cruciantur, & in ignem vehementissimum, & aquam profundissimam tribulationum ceciderunt. Unde clamant cum S. Davide Ps. 68. *Salvum me fac DEVS, quoniam intraverunt aqua usque ad animam meam: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: laboravi clamans: rauca facta sunt fauces mea.* Et si verò etiam multis interdum offerantur liberandæ per orationes; non possunt tamen eas liberare, quia hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejuniis, præcipuè generali sive abstinentia à peccatis. Hinc de Filio quodam in Spec. Exempl. V. Defuncti legitur, qui triginta annis pro Patre defuncto constanter oraverat, nec tamen eum liberare poterat, quia semper in peccato mortali preces offerebat. Ergò curandum, ut DEUS dicere possit, quod Danieli cap. 10. dixerat, olim: *Ex quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu DEI tui, exaudita sunt verba tua.* Ostendendus proinde modus afflictionis variæ, spiritualis scilicet, per abstinentiam à peccato, & vindictâ inimicorum; compressionem inordinatorum desideriorum; & corporalis per abstinentiam, & patientiam in sufferendis miseriis corporalibus.

X. Ex occasione Thematis. *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Dici potest, et si hæc verba Communiter ad Christum & Ecclesiam applicentur; meritò tamen posse etiam animabus purgantibus applicari, ita ut illæ quoque fateantur, se non modicum levamen æstus nimij ab auxiliatoribus sentire, fructumque eorum, quem de operibus suis, illis applicant, dulcem gutturi suo esse. Hinc ostendendum, quomodo quis fructum operum suorum pro animabus applicare possit, quantaque dulcedo seu solatium ex iis in animas redundatura sit. Vide die heylsame Kurzweil fol. 77. ubi reperies sequentes versus ad eundem finem factos.

Nach Gottes Angesicht seuffhen wir/
Ach durch gut Werk macht auff die Thür!

XI. Ex occasione Thematis. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 6. Dici potest, per Mammonam iniquitatis

tatis rectè intelligi posse Indulgentias, quæ animabus applicari possunt hæ enim vera Mammona iniquitatis dici queat, quatenus sunt divitiæ ad debita, per iniquitates contracta dissolvenda ordinatæ. Ostendatur proinde, quàm efficax medium ad animas citò liberandas sint Indulgentiæ, præcipuè plenariæ. Demonstreretur dein, quàm frequentes occasiones habeant Auditores ad ejusmodi Indulgentias defuncto applicandas; Præsertim si sunt Congregationi Rosarij inscripti, quàmque adeò multos amicos sibi facere possint per ejusmodi Indulgentiarum applicationem. Vide *heptameron Rurgweil fol. 85.*

XII. Ex occasione Thematis: *Pater Abraham, miserere mei, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. ostendi potest. 1. quàm gravis & vehemens sit ignis purgatorij, ita ut secundum Cæsarium Arelatensem hom. 7. durior sit, quàm quod potest pænarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri: Secundum S. Hieronymum & aliorum sententiam sola diurnitate ab infernali igne differat. 2. Ostendatur quibus mediis extingui possit hic ignis, scilicet iisdem, quibus ignis materialis extingui solet, nempe aquis lachrymarum piarum & utilium, sanguine Christi copiosè affuso, lacte, id est, B. Virginis patrociniis ipsis animabus impetrato, aut Reliquias Sacras, id est, pia Deoque grata opera in flammam proijciendo. Imitentur proin Auditores ad aliquod ex his mediis applicandum.

XIII. Ex occasione Thematis. *Quis eris ex vobis homo, qui habet ovem, & si ceciderit hæc sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam?* Matth. 12. Dicit potest, quàm horrenda sit fovea, in quam inciderunt animæ purgantes; ita ut merito clament: *Foderunt foveam anima mea; & ex illa opem nostram invocent, sicut olim Joseph in cisterna constitutus.* Cavendum itaque, ne, si petitam opem non feramus & nos in eandem conjecti dicere cogamur cum Fratribus Joseph. Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustiam anima illius, dum deprecaverunt nos, & non audivimus.* Idcirco venit super nos ista tribulatio. Itaque ostendendum erit, quomodo animas ex hac fovea educere possimus, scilicet porrigendo scalam SS. Sacrificij, per quam DEUS descendit ad nos, & nos ad illum. 2. Funiculam

Rosarij aut aliarum similium precum porrigendo. 3. Porrigendo manum per largitionem Eleemosynæ. 4. Projiciendo arbores aut alias similes materias, uti fossæ impleri & per eas aditus ad muros fieri solet. Quo modo etiam Elephantifocios in foveam lapsos liberare dicuntur. Possunt autem per has arbores intelligi bona opera. Mortificationis, obedientiæ, charitatis aut aliarum virtutum, vide Fab. tr. de fest. in commem. Anim. eo. 6.

FONS V.

Ex Impedimentis.

EX hac fonte etsi parcius sumenda sit materia pro Exhortationibus, ut potè non adeò copiosa, tamen negligi non debet, cum multum profit ad falsas opiniones de animarum statu eximendas.

Itaque I. Ex occasione Thematicis: *Ipse Sathanas transfiguravit se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. ostendi potest, quanto pere Dæmon conetur impedire liberationem animarum, cumque in finem recitari pulchra Historia de S. Theobaldo Episcopo, qui 30. Missas ab anima petitas pro sui liberatione, nunc per fictitium incendium; nunc per discordiam inter cives confictam; & tandem per ludicram civitatis oppugnationem à Sacrificio offerendo impedire conatus est, uti in Spec. Exemp. d. 8. Ex. 64. videre est. Exponenda ergò similia impedimenta, scilicet Amor proprij commodi, amor amicorum; & amor peccatorum in periculo suæ salutis existentium, quæ proindè omnia impedimenta ut Auditores fortiter rejiciant; animandi erunt. Vide die heylsame Kurzweil.

II. Ex occasione Thematicis. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, Anima vero sua detrimentum patitur?* Matth. 16. Dici potest, hunc esse potissimum astum, quo Dæmon multos illaqueare, & ab auxilio animabus ferendo impedire conatur. Quòd scilicet Charitas à se ipso incipiat: quòd nemo bonus sit, qui sibi nequam est. Unde ostendendum primò, quòd non agant contra charitatem, quia juvando animas, certius, abundan-

tius, & citius salutem consequuntur, quam si omnes vires se
seipos juvandos converterent, uti fulissimè & solidissimè P.
Jacobus Monfort in tract. de miser. animabus præstanda o
stendit.

Probetur 2. Quòd potius agat contra charitatem ordina
tam erga se, qui non impedit operum suorum fructum ad ani
mas juvandas, eò quòd se inexplicabili illà majore gloria per
totam æternitatem fruenda privet. vide heilsame Kurgweil.
fol. 259.

III. Ex occasione thematis: *Iustus Dominus in omnibus
viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Ps. 144. Dici po
test, etiam ex hoc capite multos non parùm ab auxilio defu
ctis ferendo impediri, quòd, sicut Reges & Principes hujus
mundi non libenter habent, ut quis per intercessionem sua
viam Justitiæ suæ impediatur, ita & DEUS tantò ægrius sit lu
rurus, si quis Justitiæ suæ cursum impedire conetur, quanto
justius & sapientius ipse eam pœnam decrevit. Itaque solide
refutetur hæc objectio, ostendaturque, DEUM non Judicem
duntaxat, sed etiam Patrem esse tenerimè amantem, suos Fi
lios; non justum duntaxat, sed etiam misericordem infinitè
atque adeò vel maximè desiderare, ut per opera nostra & au
xilia justitiæ ipsius satisfiat, vel per intercessionem varias
ejus placeatur. Serviet hunc in finem Exemplum Saulis in
Reg. 14. Jonatham Filium suum quidem ad mortem determi
nati, sed tamen per populi preces ab eadem liberati. vide
heilsame Kurgweil. fol. 249.

IV. Ex occasione thematis: *Iram Domini portabo, quia
peccavi ei, donec causam meam indicet, & faciat iudicium me
um; seducet me in lucem, videbo iustitiam eius.* Mich. 7. Di
cendum, quòd ipsæ animæ non desiderant liberari, sed iustiti
æ divinæ satisfacere. Hinc S. Gertrudis quondam vidit, vir
ginem quandam defuncti sponi amplexum oblatum refo
gientem. Eò quòd nondum satis purgata esset. Sed refutatur
potest hæc objectio, quòd ex altera parte animæ etiam videant
DEUM esse summè laudabilem & amabilem, atque adeò
perfectissimè laudare & amare, desiderant, id quod in purga
torio nondum præstare possunt. Præterea sciunt Justitiæ
divinæ etiam per aliena opera satisfieri posse. Et forte pre
fectius, quia per auxilium animabus præstitum, Charitas in
figis

signis exercetur, atque adeò DEUS copiosè laudatur, & honoratur. vide libellum cit. fol. 251.

V. Ex occasione thematis: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psal. 118. Dicitur potest, per hanc defectiōnem meritò posse intelligi decretum illud, quo aliqui statuunt relicto animarum purgantium auxilio, omnes vires suas ad conversionem peccatorum convertere, eo quòd illæ salutis suæ securæ; Peccatores autem in manifesto æternæ damnationis periculo versentur. Itaque hæc obiectio, sicut una est ex potissimis auxiliū animarum impediētib; ita etiam solidè refutanda est. 1. quidem Exemplo Bertrandi Dominicani pertinaciter contendētis pro peccatoribus magis, quàm animabus purgantibus supplicandum esse, cui anima apparens suas pœnas & commilitonum explicavit, facilèque persuasit, ut deinceps à peccatoribus auxilium ad animas juvandas converteret. Deinde ostendatur, posse eà intentione animabus opera applicari, ut ipse pro peccatoribus orent, quòd multò efficacius propter perfectiōnem precum suarum præstabit, quàm ipsi viventes. Adli potest, quòd peccatores mediā sufficientia habeant ad se juvandos, non item animæ. Item quòd adhuc fructum imperatorium de bonis suis operibus ipsis queant applicare. vide l. c. fol. 255.

VI. Ex occasione thematis: *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.* Eccl. 2. ostendatur, non modicum esse fallaciam Dæmonis, quòd ad inutilia Charitatis officia defunctis præstanda impellat, ut ab utilibus impediatur. Inter quæ inutilia media meritò numerantur immodicæ lachrymæ, quibus proprio potiùs amoris & comodo servitur, quàm defuncto levamen præstatur: Itaque ostendatur, modicè plorandum. 1. Quia defunctus requievit à malis liberatus juxta illud Joan. 2. *Lazarus Amicus noster dormit.* 2. Quia DEUS illum dedit, iterumque abstulit. Job. 1. Sed si nec capillus de capite peribit sine voluntate patris, quantum minus integer Homo? 3. Quia parum juyant, sed potiùs impediunt, quem in finem narrari potest Exemplum Davidis. 2. Reg. 12. post mortem filij à luctu cessantis & dicentis: *Nunquid potero reducere eum?* Item Viduæ, quæ immodicè plorans vidit Filium tardiùs quàm alios Juvenes ad cælum properare

rare rogansque causam audivit, pallium suum immodice lachrymis matris, prægravari.

7. Ex occasione thematis: *Abel quoque obtulit de primo genitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Gen. 4. Dicitur potest simile quid contingere offerentibus opera sua pro animabus purgatorii, videlicet multorum opera parùm grata esse DEO, & efficacia ad animas juvandas, eò quòd non nisi vilissima, id est, vel omnino in peccato mortali, vel certè tepidè & negligenter peccata offerant. Excitandi proin Auditores, ut potius Abelen imitentur adipem, per quam pura intentio & charitas designatur, de suis operibus offerentes, eùmque in finem sibi firmiter persuadeant, se quod uni ex minimis præstant, ipsi Christo præstare; Quis autem Christo optima quæque offerre non studeat.

VIII. Ex occasione thematis: *Populus hic labiis me honor, Cor autem eorum longè est à me.* Math. 15. Dicitur potest, hoc plerumque post mortem verificari, quando scilicet plerumque amici honorem quidem multum & magnum in funere deportando exhibent; Corde autem modicam dilectionem ostendunt, dum vix quidquam agunt solidè, quod animæ defuncti conducere ad levamen potest; ostendatur ergo & exaggeretur hic error per Exemplum illius, qui Dominum suum in captivitate & miseriis relinqueret, & totam curam ad ipsum servum aut equum honorandum converteret; idem enim faciunt, qui totam curam suam in cadaver magnificè sepeliendum convertunt; nullam aut exiguam animæ curam gerunt. Porro deberent Auditores illa verba S. Joani, 14. velut ab ipso defuncto sibi dicta frequenter imaginari: *Fili mi mei, non diligamus verbo aut lingua, sed opere & veritate.* Nam, ut rectè S. Augustinus, *Pompa funebris, sumptuosa, sepultura, & multitudo comitantium, vivorum sunt solatia, non adiutoria mortuorum.*

IX. Ex occasione thematis: *Dicit piger, Leo est in cubo & leana in itineribus.* Prov. 16. Dicitur potest, multos sibi rescio, quomodo difficilem imaginari animæ Redemptionem eò quòd audiant severissimè omnia ad judicium revocari, & non dimitti animas, donec solvant novissimum quadrans. Itaque refutandus hic error, partim per misericordiam Dei

infinitam; partim per valorem & dignitatem operum ex charitate factorum; partim per multitudinem eorum, qui concurrunt ad animas liberandas; Impossibile enim est multorum preces non exaudiri; partim quia DEVS coronat voluntatem ubi non invenit facultatem.

X. Ex occasione thematis: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Jo. 20. Dicitur potest verendum esse, ne multi quoque sint hodie, qui audientes gravitatem & varietatem tormentorum Purgatorij explicari, audeant cum D. Thoma dicere. *Nisi videro, non credam.* Quid mirum autem, si tales postea frigidi & languidi maneat in auxilio defunctis præstando. Itaque refutandi hi partim per consensum unanimum Doctorum; partim per rationes naturales v. g. Gravitatem peccati venialis, aliaque similes circumstantias, de quibus videri potest Jacobus Monfordus in tr. de miser. anim. præstanda copiosè & doctè differens.

XI. Ex occasione thematis: *Ut quid perditio hæc? Poterat enim unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus.* Math. 26. Dicitur potest, non immeritò timendum esse, ne hodie quoque sint multi futuri, qui videntes tam multa opera pro animabus purgatorij offerri, dicant, ut quid perditio hæc? An non enim defunctus confessus est, & communicavit? an non bene vixit? an non SS. Nomina JESUS & MARIA ante obitum pronuntiavit, & sic Indulgentias plenarias lucratus est? an non ergo meritò supponi potest, eum rectè ad cælos abiisse? Ut quid ergo perditio hæc operum nostrorum? Ad hanc itaque objectionem refutandam ostendatur; alia esse judicia DEI, quàm hominum; afferantur varia Exempla eorum, qui ob levissimas causas diu in purgatorio sunt cruciati. Probetur uno alteròve Exemplo præcipuè Franciscani, cui Sacrificia pro ipso oblata nil profuerunt, quia se negligentem præbuerat in simili obsequio & debito, dum viveret, præstando, non semper obtineri Indulgentias, vel alia media applicari; significetur denique, etsi mortuus non ingereret, tamen perinde gratum fore hoc officium charitatis à viventibus præstitum, atque si effectum habuisset.

XII. Ex occasione thematis: *Est autem amicus & socius mensa, non permanebit in die necessitatis.* Luc. 6. Dicitur potest hanc sententiam, si unquam tempore mortis impleri, utpote in quo

in quo plerique sicut mortuum ex oculis, ita & ex animo dimittunt; Ita ut is verè clamare possit cum Davide Ps. 30. *Oblivioni sum datus tanquam mortuus à corde.* unde Messirelli. de anim. dicit talibus defunctis contingere id, quod oris Struthionis contingere solet; sicut enim Struthio foveam in arena facit, in eaque ova ponens fabulo operit, eumque ab ijs recesserit, statim oblitiscitur, & nunquam ad ea redit, donec per calorem arenae ardore solis calefactæ pulli excludantur; Tunc enim primum eos recolligere & nutrire incipit. Sic amici ponentes defunctum in sepulchrum, statim eum post exequias deserunt, & non recordantur, nisi fortè post longum tempus, quando jam ardore solis iustitiæ excoctus est, & purgatorio exijt. Nimirum rectè Poëta dixit. *Donec eris felix (in vita) multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila (post mortem) solus eris: Itaque excitandi Auditores, ut non sint socij mensæ duntaxat, sed etiam in die necessitatis permaneant, & amicitiam suam affectu & effecta tantò constantius ostendant, quantò accuratius Defunctus leges amicitiae erga illos observavit.*

FONS VI.

Ex Epitaphiis.

Ex hoc fonte duplicis Generis conceptus desumi possunt, scilicet communes pluribus, & proprii privati Personis; utriusque in hoc convenerunt, quòd Exhortator pro Exordio dicat, se pro more recepto Epitaphium Defuncto composuisse. Idque pro solatio & ædificatione publicè nunc proponitur, explicaturumque.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare.* 2. Mach. 12. Dicere potest Exhortator se præsentis Defuncto breve quidem Epitaphium composuisse, sed quod multam in se materiam consideratione dignam contineat, esse autem huiusmodi.

Hic requiescens clamito,
Precésque supplex flagito.

Id est:

Nie lig ich / vnd schrey übersich /
Geh nicht fürüber / bett für mich.

In hoc Epitaphio quatuor consideranda offerat. 1. Particulam *Ubi* faciat pulchras Anritheses. Ego prius tam formosus, nunc adeo deformis; prius ditissimus, nunc pauperimus; prius nobilis, nunc abjectus; prius amabilis, omnibus nunc exosus: sic nempe vanitas vanitatum, & omnia vanitas, nilque sub sole permanens. 2. Particula *Ubi*: non in lecto molli, ut olim, sed terrâ durissimâ; non in prelo stragulo, sed tumba ignobili; non plumis teneris, sed vermibus & serpentibus imersus, secundum corpus; quoad animam verò ubi jaceam, quomodo explicabo? Jaceo scilicet in mediis flammis, & tenebris inexplicabilibus tormentis, horrendo Dæmonum aspectu cruciata, omni memetipsum juvandi virtute atque potentiâ privata, omni solatio & refrigerio carens. Hinc clamor ad vos: *Schrey über sich!* id est usurpo illa verba Jobi, cap. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* qui tot beneficia à me accepistis: vos, qui tam sincero à me affectu temper amati fuistis: vos, qui opem vestram in omni casu offerendam toties spopondistis: vos, qui amicitia jura inviolata servaturos vos toties pectastis: vos, inquam, vos miseremini. Nunc enim tempus acceptabile, nunc dies salutis, imò necessitatis. Miseremini, quia non digitus DEI, quo minora ejus opera denotari solent; sed manus Domini, quo grandia illius opera significantur, tetigit me, itaque tetigit, ut verè de meis doloribus & tormentis illud S. Bernardi ex parte usurpare possim. Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, expertus potest dicere,

Quid sit hic pœnas luere.

3. Sed fortè quæritis, Quid petam? aut quomodo misereri debeatis? ah nolite timere, non multum petam; non peto, ut Aurum, quod vobis tam charum est, expendatis: Non peto, ut longas & molestas peregrinationes instituatis: non peto, ut graves pro me labores assumatis: Hoc unum peto: *Schrey nicht für über/ bett für mich.* Quis tam tenue obsequium negat? Certè non immerito animæ defunctæ olim, dum duo Religiosi in Cæmeterio deambulantes nullam orationem pro eis obtulissent, Conquestæ sunt dicentes: Hi, qui præterierant, non dixerunt: Requiescant in pace. Cum verò iidem Religiosi redissent, & dixissent: Ecce benediximus vobis: responderunt illæ: DEUS illuminavit vos; sed & S. Brigitta olim

olim vocem animarum clamantem audivit; Domine, da charitatem illis, qui potestatem spiritualem, ut magis participes fiamus orationum; da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplum in hac vita. Et sanè non immeritò has preces desiderant; quia ut Joan. Gerson l. 1. de Defunctis docet, oratio pro mortuis semper habet suum effectum, quando fit pro illo, qui est in gratia, & eget satisfactione; Hæc enim ex majori fide procedit, quàm ea, quæ fit pro viventibus. Hinc etiam animæ tam copiosè rependunt gratiam per ejusmodi preces factam, uti apparet in illo, quem toties, quoties cæmeterium transibat: *Pater & Ave* pro ipsis dicentem tam potenter ab hostibus cum in cæmeterio occidere volentibus defenderunt, uti in Spec. Exempl. V. Defuncti legitur. Itaque quivis sibi dictum putet, illud Prov. 6. *Discurre, festinus suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis in calceam respicientibus. Ne dormiant palpebra tua. Tunc implebitur illud Tobie 12. Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abiecedebas per diem in tua domo, & nocte sepeliebas eos, Ego obtinui orationem tuam Domino.*

II. Ex occasione thematis: *Statutum est hominibus semel mori.* Heb. 9. explicari potest sequens Epitaphium:

HODIE MIHI,
CRAS TIBI.

Circa quod Epitaphium duo possunt inculcari; *Mortis memoria.* Hinc Salomon Eccl. 7. *Melius est ire in domum luctus, quàm ad domum convivii; In illa enim finis cunctorum advenietur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* Ex item Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Hinc & Noë accepta secum in arcam Adami ossa post diluvium suis Filiis in orbem dispersit pro salubri mortis memoria retinenda distribuit. vide *Pitiorium Im allgemeinen Klaghaus* con. 37. & P. Drex. *Prodr.* c. 1. §. 40. & seq. 2. *Præparatio ad mortem:* quia, ut S. Aug. Ep. 80. ait, in quo quémque invenerit suus novissimus dies: In hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die illo quisque moritur, talis in die illo iudicabitur; ostendatur ergo, optimam præparationem ad mortem.

esse optimam vitam. vid. Pist. l. c. con. 35, Drex. in Prodr. c. 3. §. 16. & 17. Thom. Kemp. l. 1. c. 23. §. 6.

III. Ex occasione thematis: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Phil. 1. Explicari potest hoc breve Epitaphium:

Quo vadam, Nescio.

Abire cupio.

Valete posthumi.

Previ sequemini.

Circa quod tria inculcanda. 1. *Incertitudo salutis*; quia nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit. Eccl. 9. 2. *Desiderium moriendi* propter tres præcipue causas, quia scilicet mors est finis miseriarum, Janua vitæ, & solutio debiti universalis. vide Drex. in Prodr. c. 3. §. 12. Pistorium *In Klageaus* conc. 32. 3. *Dispositio ad mortem* juxta illud Isaia 38. *Dispone domui tua, quia morieris tu, & non vires.* vid. Pistor. l. c. conc. 35. n. 6.

IV. Ex occasione thematis: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Math. 25. Applicari potest sequens Epitaphium:

Sta Viator.

Hæc mihi lapidea memoria posita,

Imò tibi, Qui hæc legis.

Quisquis es, vigila, dum vigilas.

Et in rem tuam maturè propera.

Horas nemo scit. Vale.

Circa quod tria inculcanda. 1. *Incertitudo mortis*, de qua rectè S. Jacobus Apostolus c. 4. *Ecce nunc, qui dicitis, hodie aut crastino die ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parcens, & deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis: Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* vide Drex. in Prodr. c. 1. §. 19. 20. Thom. Kemp. l. 1. c. 23. §. 2. & 7. 2. *Vigilantia*, nam ut S. Greg. lib. 12. moral. ait: *Ad hoc Conaitor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Et tantò quis ferventior sit in operatione; quanto*

quando & incertus est de vocatione: ut, dum incerti sumus, quando moriemur, semper ad mortem parati debeamus venire; sic enim, ut idem in homil. sint lumbi, ait, mors ipsa, cum veneris, vincitur; si prius, quam veniat, semper timeatur; vide Drex. in Prodr. cap. 1. §. 28. & 37. Thom. Kemp. l. c. 63. & 64. 3. Præparatio futurorum bonorum, juxta sapientissimum Salomonis, Eccl. c. 9. monitum: Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò in properas. vide Drex. l. c. §. ult. & c. 25. §. 2.

V. Ex occasione thematis: *Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit illum?* Joël. 2. explicari potest hoc Epitaphium:

Quid agam hîc;
Quæris Viator?
Diem iræ,
Calamitatis & miseriar.
Diem magnam & amaram
Valde ego exspecto.
Tu cogita,
Et time.

Circa quod duo inculcanda. Primo *Judicii divini severitas*, de quo S. Job. cap. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Potest etiam comparari *Judicium cum Examine Studiosorum pro ascensu*, dicique tantò magis commendandum esse, hoc *Judicium*, quantò optatior est locus, ad quem ascendunt, qui bene steterint: Et quantò *miseriosior* locus, ad quem detruduntur, qui in hoc Examine fuerint re-jecti. 2. *Præparatio solida ad hoc Examen*, quæ consistit in hoc, ut bene componamus nomen cum verbo, id est, nostram cum divina voluntatem; *Non enim adveniente die iudicii quaeretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: Nec quàm bene diximus, sed quàm bene viximus.* vide Drex. in trib. l. 2. c. 9. & 10. Item lib. 2. c. 5. Thom. Kemp. l. 1. c. 4. §. 1. 2. & 7.

VI. Ex occasione thematis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. explicari potest hoc Epitaphium:

Utinam

Utinam sapieres, Viator;
& intelligeres,
& novissima provideres.

Circa quod explicari potest, quàm efficax medium ad peccata vitanda sit cogitatio frequens novissimorum, & præcipuè mortis, à qua reliqua omnia suam vel felicitatem, vel infelicitatem desumunt. Certè hanc ob causam Christus nulli à se resuscitato monitum aliquod (quemadmodum aliis à se sanatis dederat) reliquit, eò quòd pro Domino ipse mortis effectus (ut S. Aug. putat) fuerit locutus. Sed & S. Paulus cum in civitate Troade Eutichius per fenestras cecidisset, statim sermonem abruptit, quia, ut S. Chrysostomus ait, ipse casus pro Doctore fuit. vide plura & erudita apud Pistor. *In Ringhous. conc. 37. & Drex. in prodr. c. 1. §. 2. 3. & 39.*

VII. Ex occasione thematis: *Ibit homo in domum æternitatis sua, & circumibunt in terra plangentes.* Eccl. 12. proponi fructuosè, & explicari sequens Epitaphium poterit:

Siste, Viator, & audi.

Momentum, unde pendet æternitas;

Ah quanti momenti sit istud momentum,

Ritè perpende.

Circa quod imprimis breviter explicetur, quid sit, & quàm longa ac tremenda æternitas. Deinde, quomodo hæc æternitas ab unico momento, videlicet supremo vitæ articulo dependeat, ostendatur; & tandem subiinferatur, quantã curam & sollicitudinem meritò quisque gerere debeat, ut, cum nesciat, quando hoc momentum illuxerit, quovis momento paratus sit ad momentum hoc bene finiendum; nam, ut S. Augustinus de discipl. Christi. rectè dixit: *Latet ultimus dies, ne observentur omnes dies serò parantur remedia, cum mortis imminent pericula.* Demonstratur denique, quomodo, & quàm studiosè hoc momentum defunctus observârit.

VIII. Ex occasione thematis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. explicari potest hoc Epitaphium:

Instruct. VII.

G g

Ut

Ut quid diligis vanitatem & mendacium,

O Viator,

Momentaneum est, quod delectat:

Æternum, quod cruciat.

Circa quod explicari potest in primis, quàm verè omnis terra vita æternitati comparata non nisi momentum dici queat, id quod etiam S. Augustinus in Pl. 36. egregiè ostendit, cum ait: *Quid appendis cum infinito quantumcumque finitum decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est millia millium, que finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* Ex quo inferatur, quàm stultè agat, qui delicias hoc unico momento percipiendas æternis tormentis metatur, id quod eleganter S. Chrysostomus hom. 20. ad Populum hanc similitudine offendit: *Si quis intra centum annos non solum nocte suave, latumque somnium videret, & centum annis puniretur, an appetendum hoc somnium foret? quod æternum est somnium ad centum annos, hoc est, presens vita ad futuram, imò multò minùs, & quod est gutta ad pelagus, hoc æterni sunt ad futuram æternitatem.* Unde suadendum, ut omnes Fulconis exemplum sequantur, qui, cum quãdam nocte dormire non potuisset, cogitare secum cœpit: si hic in lecto molli jacenti, absque alio dolore, tam molesta nihilominus est cubatio, quantopere cruciabor. si in lecto igneo æternitatem jacere cogar? itaque per hanc cogitationem mutatus est, et mox vanitatibus mundanis valedicens, Cisterciensium Congregationi nomen dedit. Rectè igitur S. Augustinus apud Drexelium c. 6. de ætern. dixit: *Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus.* Obstat denique, quomodo hanc doctrinam defunctus observavit.

IX. Ex occasione thematis: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Matth. 25. explicans prætext sequens Epitaphium:

Quid stas otiosus, ô Viator?
Quodcunque facere potest manus
Tua, instanter operare;
Æternitati laboras.

Circa quod narrari inprimis potest, quid Zeuxes Pictor celeberrimus querenti, cur tantâ diligentia suas picturas perficeret? responderit, nempe: Diu pingo, quia aeternitati pingo. dein inferatur, quantum verius hoc quivis homo de suis bonis operibus dicere queat, utpote quibus mercedem aeternam & inexplicabilem paratam esse novit; quam æquum proinde sit, ut omnia sua opera cum magna diligentia perficiat, semper in mente habens aeternitatem, dicensque: aeternitati laboro. Quam item nullum laborem aut difficultatem in suis Operibus occurrentem horrere aut fugere debeat, cum verè S. Hieronymus apud Drex. de æter. c. 6. dixerit: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria aeternitatis acquiritur.* Itaque quivis in tali casu sibi occinat: *Momentaneum, quod cruciat, aeternum quod delectat.* Quæ omnia, quomodo Defunctus inter opera sua tam præclata, inter labores tam multos & difficiles, & inter tam graves adversitates observaverit, breviter declarentur.

X. Ex occasione thematis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corpora, prout gessit, sive bonum sive malum.* 2. Cor. 5. explicari potest Epitaphium à Siracide c. 38. compositum.

O Viator.

Memor esto Judicii mei.

Sic enim erit & tuum.

Vale, & vive,

Ut vivas.

Circa quod duo inculcari possunt, nempe 1. Mortis & Judicii. Certitudo (quoad substantiam) & incertitudo (quoad temporis circumstantiam.) Nam ut rectè S. Bernardus de Convers. ad Clericos cap. 14. ait, *Quid in rebus humanis certius morte? Quid hora mortis, incertius invenitur? Senibus quidem in ianuis, Adolescentibus in insidiis est.* vide Drex. in prode. cap. 1. §. 14. 19. 2. Observatio doctrinæ à sapientibus datur: fac modò, quæ moriens facta fuisse velis. vide Drex. l. c. §. 42. & 46. & Thom. Kemp. l. 1. cap. 23. §. 4. & 8.

PRO INFANTE.

XI. Ex occasione thematis: *Paravit DEVS vermem in*

G g 2

ajlchj

ascensu diliculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit:
Jonæ cap. 4. Proponi & explicari potest hoc brevissimum,
sed saluberrimum Epitaphium:

Ne mirare,
Viator.

Dum aridum hoc cadaver aspicias.

Hedera Jonæ fuit.

Vale, & vide,

Cui fidas, & adhæreas.

Circa quod dici potest in sepulchrali cruce Infantem mortuum pictum esse, qui sub umbra hederæ recumbat, & si placeat, in Epitaphio loco nominis Jonæ, nomen parentis substitui potest, simulque duo inculcari. 1. *Fragilitas spei humana*, quæ pulchrè declarari potest per comparisonem illius cum hedera Jonæ, quæ subito ipsi gaudium magnum, iterumque summam tristitiam creavit. vide Drex. in Jo. & in prodrom. c. 1. §. 8. 2. *Adhæsiō & unio cum DEO*, juxta illud Pl. 71. *Mihi autem adherere DEO bonum est, & ponere in Domino Dux spem meam.*

Aliud.

XII. Ex occasione thematis: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* Eccl. 50. proponi & explicari potest pulcherrimum hoc Epitaphium:

Quid miraris,
Viator,

Tam citò extabuisse me?

Rosa fui.

Tu, si dia florere cupis,

Amaranthus esto.

Circa quod imprimis narrari potest Fabula, quam P. Drex. in Prodro c. 1. §. 34. narrat in hunc modum.

Amaranthus rosæ aditus dixit: O qualis flos rosa, quam formosus, quam amabilis Beatam de jure dixerim, ob odorem, ob formam, & ob colorem. O Regina florum. Cui Rosa, ego quidem, inquit, ô Amaranthe, forma prænitico, sed tempus brevissimum vivo; & quamvis nulla me manus violaret, nihilominus tabesco. Malim ego minùs habere formas & plures

& plus vitæ. Ex qua narratione duæ doctrinæ eliciendæ.
 1. Quam parùm vitæ huic fragili confidendum, ut de qua
 rectè dixerit Job. c. 14. *Homo quasi flos egreditur, & conteri-
 tur, & fugit velut umbra.* 2. Quam prudenter & meritò
 proinde alia vita, scilicet æterna quærenda sit, utpote quæ
 sola vera, jucunda, & æterna vita est.

PRO JUVENTE.

XIII. Ex occasione thematis: *Condemnat autem Iustus
 mortuus viros impios, & iuventus celerius consummata lon-
 gam vitam iniusti.* Sap. 4. explicari potest sequens Epita-
 phium:

Sta Viator,
 Et obstupescce
 Juvenis,
 Qui, quamdiu voluit, vixit,
 Hic sepultus est
 An non rarum Miraculum?
 Imitari potes,
 Si placet.

VALE,

Circa quod duo principia bene inculcanda. 1. Non lon-
 gissima, sed honestissima vita optima; nam bonum non est in
 temporis diuturnitate situm, sed in virtute; neque enim, qui
 cytharâ diu lusit, sed qui bene commendatur. vide Drex. in
 prodr. cap. 1. §. 35. 36. & cap. 3. §. 3. 2. Quisquis voluit,
 diu vixit; an non enim diu locutus est, qui paucis verbis per-
 suasit? an non satis cucurrit, qui palmam obtinuit? an non
 satis navigavit, qui in portum feliciter pervenit? vide Drex.
 l. c. §. 24.

Aliud.

XIV. Ex occasione thematis: *Ne intuearis vinum, quan-
 do flavescit, cum splenduerit in vitro color eius.* Prov. 23. Ex-
 plicari potest sequens Epitaphium:

Eheu dissilij,
Corporis & animæ facta,
Separatione.

Sed quid mirandum;
Vitrum fragile fui.

Cavete Juvenes.

Et vos thesaurum vestrum in
Vasis fictilibus
portatis.

Circa quod duo monita salutaria inculcari possunt. 1. Non esse mirandum, si DEUS interdum Juvenes mori ante tempus finat, quia ex materia fragili æquè ac viri ac senes compositi sunt; & præterea DEUS facit, ut Cotijs Rex Thraciæ, qui ne vitra occasio iræ aut furoris essent, si frangerentur, prius illa frangi iussit. vide Pistor. in Klaghaus. conc. 6. n. 3. 2. Admonendi Juvenes, ut sapiant hoc Exemplo, & sibi in futurum prospiciant, meminerintque, sibi contingere, quod Nobili cuidam per tria vitra seipis rupta de morte admonito evenit vide apud Pistorium.

XV. Ex occasione thematis; Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23. explicari potest hoc Epitaphium;

Sta Viator.

Et, si Juvenis es,
Vel meo Exemplo disce,
Morti non fidere.

Si decrepitus es,

Securim jam ad radicem postam

T I M E.

Si enim in viridi ligno hæc faciunt,
In arido quid fiet?

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1. Ne juvenes nimis securè vivant, quasi extra periculum mortis positi; sed potius meminerint proverbii communis, quo dici solet: Man frag eben so viel Rätber, als Ruhe. Hant auff den Markt. Item quod Juvenibus mors in insidiis esse dicatur, atque meminerint semper cautè vivere debeant. 2. Ut senes meminerint, Me-

tem in januis esse, atque adeò ita se præparent, ut, cum venerit, & pulsaverit, statim aperiant illi.

Aliud.

XVI. Ex occasione thematis: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est,* Job. 1. proponi potest hoc Epitaphium:

Quid amissum ploratis,

O Parentes, & Amici?

Depossum fui.

Quod suum erat, abstulit DEUS.

Quiescite.

Raptus sum

Ne malitia mutaret intellectum meum,

Et animum vestrum.

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1. *Conformitas cum divina voluntate*, si meminerint Parentes & amici, DEUM esse plenissimum, & sapientissimum Dominum, atque adeò gravissimas habere causas, ob quas ejusmodi Juvenem ex hac ad vitam meliorem transferre voluerit. 2. *Gratulatio & Gratiarum actio ob beneficium*, quod DEUS per talem mortem Juveni & Parentibus exhibuit; dum ipsum à periculo damnationis, Parentes verò à gravibus curis, incommodis & damnis per ejus mortem liberavit. vide Pistor. conc. 6. 3.

PRO VIRGINE.

XVII. Ex occasione thematis: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flere.* Luc. 23. explicari potest hoc Epitaphium:

Cur inutiles lachrymas funditis,

O Amici?

Non extinguitur his aquis flamma

Me crucians, sed augetur.

Nolite ergo flere super me.

Sed super vos ipsos flere.

Circa quod duo iterum inculcanda. 1. *Inutilitas lachrymarum*, quæ plerumque in talibus casibus profunduntur. Ad quem

quem finem Historia de Matre Filium deplorante, & per hoc ab ingressu cælorum retardante, quæ supra jam est indicata, narrari poterit. 2. *Detestatio & dolor de peccatis circa tales liberos commissis, quibus sæpe parentes causam DEO dederunt, ut talem Filiam eriperet.*

Aliud.

XVIII. Ex occasione thematis: *Quid turbamini, & ploratis? non est mortua Puella, sed dormit.* Marc. 5. explicari potest sequens Epitaphium:

Quid Turbamini & Ploratis?

O Parentes?

Non est mortua Puella,
Sed dormit.

Ne ergo susciteris, neque
Evigilare faciatis dilectam,
Donec DEUS & ipsa velit.

Felicem interea noctem verbo, & facto

Apprecantes: Dicite:

Requiescat in Pace.

Circa quod duo monita suggerenda. 1. *Consolandi Parentes* dicendo, quàm meritò sperare possint, dormire tantum Filiam virginem, ob varia pietatis & virtutum Exercitia, quibus beatam mortem merebatur. 2. *Adhortandi eorum Parentes, & alii Auditores*, ne lachrymis suis inquietum Filia somnum efficiant, sed potius, si somnus talis forte poenâ, & visiones Purgatorij, turbatus est, per varia pietatis & misericordiæ opera, causas tales removere studeant. vide Pistor. conc. 8.

PRO SACERDOTE.

XIX. Ex occasione thematis: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiat novissima mea horum similia.* Num. 23. proponi potest Epitaphium dignissimum, quod omnibus Sacerdotibus pro exemplari sepulchralis Elogij proponatur.

Siste gradum Viator,
Adm. R. Dominus N. N. Sacerdos
Et Parochus hic
Requiescit.

Qui vixit, ut dixit;
Obijt, ut vixit:
Vivit, ut obijt,
Id est:

In & cum Domino.

Aspice, & fac secundum Exemplar.

Circa quod duo potissimum commendanda. 1. Quod talis Sacerdos memor moniti Servatoris: *Et vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*: optimam præparationem ad mortem adhibuerit, vitam scilicet optimam & inculpatam, non ignarus videlicet communis proverbij: Sicut vita, mors ita: qualis mors, talis fors. *Wie das End, also d'ånd.* Nam ut rectè S. Augustinus l. 1. de civ. dixit; *Malâ mors putanda non est, quam bona vita præcessit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem.* Unde meritò S. Bernardus ep. 105. hortatur: *Volo te mortem, nisi non effugere, certè vel non timere. Iustus quippe mortem etsi non cavet, tamen non parvet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 2. Quod idem Sacerdos sicut dixit, & locutus est in cathedra, ita vixerit quoque, id est, exemplo etiam, quæ prædicaverat, comprobârit. Memor saluberrimæ doctrinæ à S. Laurentio Justin. l. de conflict. intem. data, dum ait: *Dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suavis, tibi persuaseris se prius cognoscaris; validior operis, quam oris vox est, fac, ut loqueris.* Non enim difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. Ostendatur ergo per aliquot exempla, quomodo doctrinæ à se datas impleverit.

PRO VIRO HONORATO.

XX. Ex occasione thematis: *Cùmque convertissem me ad universa opera, qua fecerant manus meæ; & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Eccles. 2. potest proponi sequens Epitaphium:

Sta Viator,
 Et quid de rebus mundanis
 Sentias, ab experto disce.
 Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,
 Præter amare DEUM,
 Et illi soli servire.

Circa quod duo præstanda. 1. Ostendendum, quàm omnibus bonis mundi affluerit Defunctus, ita ut jure cum Salomone l. c. dicere potuerit: Magnificavi opera mea &c. possedi servos & ancillas, armenta & boves, coacervavi aurum & argentum &c. & tamen cum ad hæc omnia se convertisset, nihil nisi vanitatem, & afflictionem animi, maxime ob severam rationem reddendam, invenerit. Nimirum rectè dixit S. Augustinus l. 1. Conf. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; ad imaginem quippe DEI facta anima rationalis, inquit S. Bernardus, cæteris rebus occupari potest, repleti non potest; capacem quippe DEI, quidquid DEO minus est, replere non potest; sicut nec vas triangulare à re figuram rotundam habente repleti potest. 2. Demonstratur, quàm verè dicatur, in solo amore DEI veram hominis felicitatem consistere; cum hic amor sit possessio DEI, atque adeò finis ultimus hominis; omnis autem rei felicitas in finis sui possessione consistat. Quare ostendatur, quomodo hunc finem sectatus sit Defunctus, & in usu suorum bonorum consilium S. Pauli. 1. Cor. 7. observaverit, suadentis, ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint, eò quòd prætereat figura hujus Mundi.

PRO DIVITE.

XXI. Ex occasione thematis: *Dives, cum dormit, nil secum auferet.* Job. 27. proponi potest sequens Epitaphium;

Ut quid divitias in Divitis
 Sepulchro quæris, O Viator.
 Eheu! universas mors abstulit.
 Tu, si sapias,
 Easdem in cælum præmitte.

Circa quod in primis dici potest, quantas divitias sibi congregaverit Defunctus, & quomodo eas uno momento mors abstrulerit, sicque verificaverit effatum Davidis Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri Divitiarum in manibus suis.* Unde merito Christus Matth. 6. hortatus est: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra &c.* Et S. Paulus 1. Tim. 6. *Divitiis huius seculi praecepe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo.* Deinde ostendatur, quàm bene & prudenter his divitijs usus sit defunctus, dum scilicet in primis saluberrimum Psalmistae Ps. 61, monitum observavit: *Divitia si affluant, nolite cor apponere.* Dein verò etiam exemplum prudentis Regis secutus sit, de quo Barlaam in vita Josaphat refert, quòd, cum adverteret, in regno suo consuetudinem esse, ut Rex non nisi unico anno regnare sineretur, & hoc finito in exilium mitteretur, intra hunc annum plerasque suas divitias in locum exilii prae miserit, in quem postea relegatus easdem cum gaudio invenit, & fruitus est. Excitentur itaque Auditores, ut & ipsi opes suas terrenas per Pauperum manus, aliòsque pios usus prae mittere in caelum studeant; de reliquo autem veras divitias congregare conentur, de quibus S. Bernardus in S. Sexag. dixit: *Vera divitia non opes, sed virtutes sunt, quas sicum conscientia portat, ut in aeternum dives fiat.*

PRO HONORATA MATRONA.

XXII. Ex occasione thematis: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Prov. 31. potest hoc Epitaphium proponi.

Sta Viator,
 Et formae inconstantiam in
 Deformato cadavere agnosce.
 Olim Mariti delictum, formae
 Miraculum, cheu! nunc esca
 Sum vermium,
 Sic nempe fallax gratia,
 Et vana est pulchritudo;
 Et sola Mulier timens DEUM
 Laudabitur.

Circa

Circa quod 1. dicendum, quàm rarâ pulchritudine & gratia venustate prædita fuerit defuncta; & quàm parùm illa ob salelem dotem superbierit, memor, quòd corpus etiam pulcherrimum nihil aliud sit, quàm sacus stercoreum, & simus nive tectus. Id quod pulchrè quondam Rex aliquis Aulicis pulchritudinem corporis plùs æquo admirantibus & prædicantibus ostendit, dum vas aliquod stercore refertum eleganter vestiri, faciémque venustissimam imponi, postea vero Aulicis iterum more suo tam raram venustatem laudantibus vestes auferri, & sic, quid lateret, ostendi iussit. Unde merito Domitianus, teste Patriarcha dial. c. 11. quidam Amico scribens, scias, inquit, nec gratius quiddam esse decore, nec brevius. Quamquam, etiamsi durable, & perpetuum natura donum esset, non intelligo, quid tantopere expetendum habeat, iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multaque fœda contegens, & horrenda, levissimæque cutis obtentu sensibus blandiens & illudens.

2. Ostendatur, quàm prudenter hæc Domina secuta sit Diogenis consilium, qui videns formosum Adolescentem ob formæ gratiam amari, dixit illi: Quin operam das Adolescentens, ut corporis amatores ad animam transferas. Sed & Socratis consilium adjunxerit, Discipulis suis suadentis, ut speculum inspicerent, & si quidem pulchri viderentur, censerent, ne dignitatem corporis malis moribus fœdarent. Id quod studiosè illa observaverit, dum mentis puritati, in qua vera pulchritudo consistit, quæque auferri contra voluntatem non potest; ita studuit, ut jure de ea dici poterit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula (præsertim deliberatè admissa) non est in te.* Excitentur proin Auditores ad eandem pulchritudinem amandam, & consilium S. Ambrosii sequendum l. 1. de Virg. dicentis: *Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multò magis delectet illa venustas, qua ad imaginem DEI intus est.*

PRO MERCATORE.

XXIII. Ex occasione thematis: *Negotiamini, usque domo venio.* Luc. 19. proponi potest sequens Epitaphium:

Quid

Quid quæris, Viator.

Jam taberna clausa est.

Jam Merces in cælum transmissa.

Tu quoque, si sapias,

Vitam tuam Nundinis similem

Crede, & dum tempus est,

Strenuè negotiate.

Circa quod duo præstari debent. 1. ostendendum erit, quàm bene Vita nostra à S. Gregorio Nazianzeno & aliis Doctõribus Nundinis comparata sit, cum verè & vita nostra perinde ut Nundinæ, brevi tempore duret, & hoc ipsum tempus solum concessum sit ad Merces comparandas; post illam verò tabernæ claudendæ sint, tempusque & occasio negotiandi cessaturum. Unde meritò Christus dixit: *Negotiamini, usque dum venio.* Sed & S. Paulus ad Eph. 5. tam sollicitè moneat: *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus.* 2. Ostendatur, quàm sedulò Defunctus Mercatoris non tam temporalis, quàm Spiritualis officium impleverit, mercèsque optimas & selectissimas compararit, nullam vitæ suæ partem sine fructu abire permittens, sed omnes & singulas actiones per intentionem, aliàsque conditiones ad meritum præscriptas sedulò observans. Unde & Auditores ad imitationem illis Siracidis c. 4. verbis excitari possunt: *Ne defrauderis à die bonos & particula boni doni non te praterat.* Et si difficilis videtur ejusmodi negotiatio, jubeantur Mercatorum Sæcularium industria & patientiam ob oculos ponere, illaque S. Augustini verba sibi applicare: *Potuerunt isti & isti ob temporale lucrum tanta ac talia agere ac pati, & tu ob æternum lucrum non poteris?*

PRO OPIFICE.

XXIV. Ex occasione Thematis: *Quodcunque, potest facere manus tua, instanter operare.* Eccl. 9. potest hoc Epitaphium proponi.

Sat laboratum est.

A modo jam dicit Spiritus, ut

Requiescam à laboribus meis,

Opera enim mea sequuntur me.

Tu

Tu quoque, Viator, si similem
 Quietem desideras, similem
 Laborem ne recusa:

Circa quod ostendi in primis, potest quid ad laborem utilem & meritum requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, propter DEUM, ejusque gloriam, & in gratia DEI, ac cum debita diligentia peragatur; & quomodo hæc omnia accuratè defunctus impleverit. 2. Pariter ostendatur, qualem requiem sibi invenerit, triplicem scilicet. 1. *corporalem*; cum teste Eccles. c. 5. *dulcis sit somnus operanti*. 2. *Spiritualem*, dum per laborem otium, & cum eo vitia profligans, quietam & securam conscientiam, quæ est quasi juce convivium, & suavissimus somnus, acquisivit. 3. *Æternam*, quia post mortem verificabitur de illo, quod S. David Ps. 117. dixit: *Laborem manuum tuarum quia manucabis, beatus es, & bene tibi erit*. Item illud Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, a modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Excitentur proinde Auditores, ut, cum & ipsi, teste Job. c. 5. ad laborem nati sint, & tempus ad operandum à DEO concessum breve sit, sibi supra citatam Siracidis sententiam applicent: *Quodcumque potestis facere manus tua, instanter operari, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Nam, ut S. Basilius in reg. 21. fusi. c. 4. advertit, *qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die iudicii parem in laborando industriam repositi*.

PRO RUSTICO.

XXV. Ex occasione Thematis: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Gen. 3. proponi poterit hoc Epitaphium;

Siste gradum, Viator,
 Et vide oculis tuis,
 Quia Modicum laboravi,
 Et inveni mihi
 Multam requiem.
 Esto ergo & tu stabilis
 Et abundans
 In opere Domini semper sciens,
 Quia labor tuus,

Non est inanis

Coram Domino.

Circa quod inprimis ostendi potest, quàm sedulus fuerit Defunctus in laboribus suscipiendis & continuandis, ita ut cum veritate usurpare illud Psalmi 87. potuerit: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea.* Deinde verò ostendatur, quàm magnam requiem invenerit, æternam scilicet felicitatem, cujus obtentæ sat clarum indicium sit labor talis pro DEO libenter & constanter susceptus, eò quòd DEUS petinde se erga nos gerat, sicut Cato Romanus erga Cives Romanos se gessisse memoratur, atque adeò sicut ille Civem electurus, manus sibi ostendi iussit; & si quidem delicatas admodum esse deprehendit, ineptum pro Cive iudicavit; se- cus verò sensit, si manus labore attritas vidit; ita & ipse DEUS eos potissimum in Cives cælestis Jerusalem admittat, quos manus attritas, id est, in laboribus pro DEO susceptis bene exercitatas habere advertit. Unde meritò S. Paulus 1. ad Cor. 15. hortatur: *Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino.* Id quòd bene S. Arsenius agnovit, hinc, postquam diu in Monasterio vixisset, rogatus, in qua re maxime consideret? respondit: In eo, quòd homines fugi, quòd tacui, quòd flevi, at in eo potissimum, quòd laboravi, & meritò sanè, nam Sancti viri, teste S. Gregorio in moral. quot labores nunc veritati commendantes exhibent, eos iam remunerationis pignora intra Spei suæ cubiculum clausa tenent. Quanta autem sit ista remuneratio, DEUS ipse in quodam Societatis nostræ Coadjutore Murario ostendit, qui post mortem P. Petro Scargæ Rectori Collegij Vilnensis totus splendidus, sed in manibus præcipuè, apprensus dixit, causam tanti splendoris esse, quòd manibus illis specialiter pro DEI gloria laborasset. Sic nempe verificatur illud Sap. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Excitentur ergo Auditores, ut & ipsi consilium Siracidis Eccl. 7. sequantur: *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo; nam, ut idem c. 40. ait, vita sibi sufficientis operarii condulcorabitur, & in ea inveniet thesaurum.*

PRO

PRO MENDICO.

XXVI. Ex occasione Thematici: *Cæcus qui sedebat (sicut) viam mendicans*: proponi potest hoc Epitaphium:

Ein Bettler decket diese Erd /
Das Bettlen hat er gewohnet:
Darumb er auch jetzt Hilff begehrt /
Ach ihm sein Bitt befohnet!

Circa quod 1. ostendi potest, quàm verè, Defunctus, si fortè in Purgatorio detineatur, cæcus dici queat, utpote à visione beatifica etiamnum exclusus, atque adeò meritò illud Tobie c. 5. usurpare queat: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* & præterea etiam tam gravibus tormentis subjectus crucior. Deinde verò ostendatur, qualem eleemosynam petat ab Auditoribus, scilicet ut precibus & Sacrificiis lectis vel auditis, aliisque similibus operibus eidem subveniant; quàm æquum sit proinde, ut illi promptè & liberaliter petita eleemosyna offeratur, cum penè omnes conditiones, ob quas alicui Mendico libertas slips porrigitur, possideat; nam 1. est valde miserabilis, cum majores cruciatus, quàm sint omnia hujus Mundi tormenta, sustineat. 2. Est valde indigens; cum seipsum nullâ ratione juvare queat, sed omnem suam fiduciam in hominibus positam habeat. 3. Est valde dignus, cum sit ab omni iam culpa liber, atque adeò Sanctissimus, Deoque carissimus. 4. Est & gratissimus, cum agnoscat beneficij collati magnitudinem, utpote qui & gravitatem pœnarum in Purgatorio toleraturum expertus sit; & paulò post etiam visionis beatificæ dulcedinem sit experturus, atque adeò non quieturus, donec ipsos quoque suos Benefactores & liberatores tum ab eisdem pœnis liberet; tum ad eandem felicitatem perveniant. Excitentur proin Auditores, ut dicant cum S. Bernardo S. de negot. *Surgam in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisficiam Sacrificiis singulari, si fortè videat Dominus, & iudicet, & laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam, his enim & huiusmodi officiis potest earum miseria relevari, & viri labor, destrui pœna.*

FONS VII.

Ex Emblematis.

NON minus copiosus Fons iste est, quàm Præcedentes, si Exhortator eum rectè tractare nôrit. Consistit autem hic modus tractandi in eo ferè, ut i. Emblemata ipsum proponatur, dicendo, vel quòd majores nostri ejusmodi Emblemata sepulchralibus marmoribus insculpere vel appingere sint soliti; vel certè, quòd ipse putet appingendum, vel incidendum. 2. Ostendatur, quàm benè defuncto conveniat. 3. Occasione ad Auditores variis affectibus inflammandos desumenda.

Itaque I. Ex occasione Thematis: Cant. 5. *Ego dormio, cor meum vigilat*, proponi posset hoc Emblemata, & pingi Leo aperitis oculis dormiens cum Inscriptione. *Dum Dormit: vigilat*. Circa quòd duo dici possent: Primò ostendi, quòd mortuus verè nunc dormiat, & quòd Mors somno plerumque comparetur. 2. Quòd quoad animam verè vigilet oculos mentis in visione beatifica DEI occupatos atque defixos habens, aut certè brevi habiturus, cujus quidem probabilitatis argumenta afferri possunt. vid. Fab. in con. 9. num. 1.

II. Ex occasione Thematis: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in Novissimo die de terra Surrecturus sum*. Job. 19. Affingi potest sepulchro Phœnix in suo proprio busto conlampus cum Lemmate: *Evolabit*: Circa quòd primò notari potest Historia de Phœnice, qui moriturus congregat ligna aromatica, & ex iis facta strue alis suis aërem percutit, donec ignem eliciat, struemque accendat; tum pectus retro aperit, ut sanguis in ignem effluat. Ex quo postea novus Phœnix enasci dicitur. 2. Applicetur hæc Historia defuncto, intelligendo per ligna aromatica virtutes & opera: Per ignem verò charitatem; per sanguinem, Mortem. Posset etiam loco Thematis assumi hæc S. Jobi sententia 29. cap. *In titulo meo moriar, & sicut palma* (Aliqui legunt, ut Phœnix, quæ palmam & avem significat) *multiplicabo dies*: vide Fabrum l. c. numero quinto:

III. Ex occasione Thematis: *Fulgebunt Iusti sicut sol*. Matth. 23. Appingi posset sol ad occasum declinans cum

INSTR. VII.

H h

Lem-

Lemmate. *Tegor, non obtenebror.* Circa quod dici posset.
 1. Quomodo defunctus verè fuerit in vita soli similis, videbitur magnus in se, & parvus in oculis aliorum; aut parvus in sua, magnus in aliorum æstimatione: Illuminans per Doctrinam, calefaciens per amorem & Exempla. 2. Quomodo nunc quidem per mortem occiderit aut Eclipsatus sit, sed tamen in se antiquum splendorem & virtutem retineat, brevem etiam nobis oriturus. Id est, in altera vita videndus.

IV. Ex occasione Thematis: *Vbi est thesaurus tuus.* *est & cor tuum* Matth. 6. Pingi posset cor in cuspidem erectum cum Inscriptione: *Exquisivi te in toto corde meo.* Pl. 118. Circa quod dici posset, olim tale cor sepulchris appictum esse duas ob causas. Primum, ut significaretur prompta voluntas & conformatio defuncti cum divina voluntate: item quod DEUM toto corde dilexerit. 2. Ut indicaretur, quod, etiam si suis Amicis abierit corpore, corde tamen apud ipsos mansurus, cordique eorum necessitates sit habiturus. Quare excitandi Auditores, ut credant sibi dictum à defuncto, quod olim Jehu ad Jonadab dixit: 4. Reg. 10. *Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo?* *ad manum,* id est, adjuva me nunc in necessitate mea.

V. Ex occasione Thematis: *Dormierunt somnum suum & nil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Pl. 27. Pingi posset Rex splendide vestitus, cubito innitens & evigilans quasi, cum Lemmate: *Somnia vi.* Circa quod dici inculcari possent. 1. Quod ex omnibus mundi delictis, & vitis, & honoribus per se non plus habeatur in hora mortis, ac si somnium de illorum perceptione habitum fuisset, ut bene Plato indicavit cuiquam pro Symbolo vocem *omnia* tribenti, dum litteram S ad litteram O apponi iussit; ut somnium se habuisse intelligeret. Hunc in finem non incommode narrari posset Historia de Rustico jussu Philippi Regis Burgundi in Regem transformato, & iterum elapso die in fœditum abjecto. 2. Quantomperè proinde veris gaudiis & bonis inhærere ad Exemplum defuncti debeamus.

VI. Ex occasione Thematis: *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & Hominibus* 1. Cor. 4. Pingi potest quidem in medio Theatri consistens & cortinam claudens, cum hoc Lemmate. *Peraçta Fabula est: plaudite.* Circa quod dici

modo probari posset vitam nostram Comædiæ similem esse, juxta illud Epicæti: *Actorem te fabula esse, qualis Magistro probata fueris, memento.* 2. Non referre quam Personam, sed quàm benè agamus. Quare ostendendum, quàm benè defunctus suam Personam sustinuerit. vid. Drex. in prodr. cap. 31.

VII. Ex occasione Thematis: *Vos estis Lux mundi.* Matth. 5. Pingi posset candela, quam manus emunctorium tenens extinguit, cum Lemmate:

Heu extincta est.

Circa quod in primis probari posset, quomodo defunctus verè lux fuerit, vel lux urbis, vel domus, eamque purificaverit suâ correctione: illustraverit suo exemplo & instructione: calcasseccit & accenderit per suam charitatem. 2. Quanto cum dolore & damno suorum extincta sit hæc Candela. Animandi tamen Auditores, ut credant de cælo copiosius fulsuram, aliòsque influxus communicaturam.

VIII Ex occasione Thematis: *Heu heu me, fili mi, ne quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum Senectutis nostræ, spem Posteritatis nostræ?* Tob. 10. Pingi posset baculus arundineus à morte contractus cum Inscriptione. *Fragili ne credite fulcro.* Circa quod duo capita declarari possunt. 1. Quantoperè Parentes aut Amici defunctum dilexerint, & quam meritò spem conceperint, quòd magnum aliquando domus lux fulcrum esset futurus. 2. Quàm fragilia ejusmodi fulcra sint, utpote de quibus meritò dixerit DEUS; *Ecce confidis super baculum arundineum contractum, cui si innixus fuerit Homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Is. 36. Quàmque adeò meritò spes unica in Deo ponatur juxta consilium Davidis Pl. 145. *Nolite confidere in principibus, neque in Filiis Hominum, in quibus non est salus.*

IX. Ex occasione Thematis: *Vnus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Sap. 7. Proponi potest hoc Emblemata. Pingatur imago una mortualis Centonibus, & purpurâ desuper vestita cum hoc Lemmate, *omnia mors æquat:* vel Germanicè tali modo:

*Also der Tod macht Arm und Reich /
Bettler und grosss Herren gleich.*

H h 2

Circa

Circa quod duo præcipue inculcari debent. 1. *Mortis inevitabilis Necessitas.* Nam sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, ita & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 2. *Vanitas rerum mundanarum* per mortem detecta, cum omnes, sicut nudi egressi sumus de utero matris, ita nudi quoque recessuri simus, neque ullum amplius inter divites & pauperes, nisi meritorum discrimen sit futurum, uti quondam pulehri Diogenes Alexandro magno ostendit, dum stans apud accervum ossium eidem Alexandro, quid ageret sciscitanti respondit se Calvariam & ossa Philippi Patris Alexandri querere; nec reperire posse; unde Auditores ad merita augenda & comparanda incitandi.

X. Ex occasione Thematis: *Appensus es in scatera.* D. 6. Pingi potest in Emblemate. *Manus libram tenens, cuius altera lanx, eaque multum depressior bona opera, altera elevata mala opera continet cum hac inscriptione.*

Auff diese wohl gebrauchte Waag.

Ich legt all mein Vertrauen schlag.

Circa quod duo inculcanda. 1. *Judicii extremi Severitas* juxta illud Sophon. 1. *Juxta est dies Domini magnus: in die illa est velox nimis vox diei Domini amara, turpiter ibi erunt fortis, eritque tum tribulatio magna, teste Christo, Matth. 24. qualis non fuit ab initio mundi.* 2. Ut maturè studeant se ad hoc judicium præparare per bonam vitam, seu legitimum usum, quæ justitiam Christianam denotat, usum, defuncti exemplo, cujus hac in re studium proponendum.

XI. Ex occasione Thematis: *Statutum est omnibus hominibus semel mori* Hebr. 9. Pingatur in Emblemate *Mors* ex horto educens cum hoc Lemmate. *Contra mortem non est medicamen in horticis, vel Germanicè.*

Komm Doctor, du must nun mit mir.

Jetzt kan kein Kraut mehr helfen dir.

Circa quod duæ doctrinæ suggerendæ. Primò *mortis inevitabilis lex.* Hic enim rectius, quàm de statuto Mortis dorum & Perfarum dicitur, quòd non liceat immutare. *vid. Drex, in prodr. cap. 1. §. 25.* 2. *Mortis memoria* refrendenda.

et quemadmodum Seneca l. 8. Nat. suadet, cogitatione familiaris reddenda, ut, si ita fors tulerit etiam obviare illi possimus vid. ib. 26. §.

XII. Ex occasione Thematis: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Matth. 16. Pingi potest in Emblemate manus acum vel aliud Opificis instrumentum tenens cum hoc Lemmate. *Hac calum aperit:* Circa quod duo probanda, 1. Omnes homines posse DEI Cubicularios esse, & auream clavem charitatis à DEO acquirere cum DEUS velit omnes salvos fieri, & ad hoc sufficientem gratiam concedat. 2. Clavem hanc non esse aliam, quàm instrumenta, quibus quisque pro suo statum utitur, juxta DEI voluntatem & bene placitum usurpata, uti indicavit Sartor ille ex Societate JESU, qui circa agonem acum petens, & eam in altum elevans dixit: *En Fratres mei:* Hæc clavis est, quam nunc mihi cælum aperturam spero, quia per illam opera ab obedientia præscripta ad DEI majorem Gloriam accuratè peragere studui. Idem proindè quomodo defunctus præstiterit, erit demonstrandum.

XIII. Ex occasione Thematis: *Ludens coram eo omni tempore* Prov. 8. Pingi potest in Emblemate Manus omnes lapides Latrunculorum (desß Schachspiels) in unam capsulam temerè proijciens cum hoc Lemmate: *Satis lusimus.* Circa quod duæ doctrinæ inculcandæ. 1. vicam humanam ludi Latrunculorum similem esse, in quo Rustici æquè ac Rex & Regiua, aliòsque digniores calculi ad eundem finem tendunt, & juvant, & sæpè plus præstat, & conducit ad lucrum ludi Rusticus, si munere suo rectè fungatur. 2. Post lusum finitum omnes homines promiscuè à morte in urnam proijci, neque ullum amplius aut Regis aut Rustici discrimen esse, atque ad eò quemque suo statu & loco contentum vivere, sicque totum arbitrio Sapientiæ & Providentiæ divinæ in orbe hoc, ludenti nobiscum committere debere, uti defunctum fecisse ostendetur.

XIV. Ex occasione Thematis: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid possumus* 1. Tim. 6. Pingi potest in Emblemate linteum in pertica suspensum. Quod Salatinus Turcarum Rex in exercitu post mortem suam circumferri jusserat. Ut omnes agnoscerent, quid secum

ex mundo hoc extulisset; adscribi potest hoc Lemma, *vel ampla spolia mundi, vel Germanicè.*

O wol der Welt ein grossen Lohn!

Ein furges Leilach tragst darvon.

Circa quod duo inculcari possunt; 1. *Vanitas rerum mundanarum*, ad quod abundantius explicandum serviet Parabola Barlaami de tribus amicis, quorum primus amicum à Judice citatum per aliquod spatium comitatus est; Alter linteum aut indusium obtulit; Tertius autem, quem omnium minime amaverat, & sibi devinxerat, ad ipsum usque Judicem secutus, potenter defendit, & hic bona opera & vitam, primus mundum, secundus cognatos denotat. 2. *Soliditas bonorum operum*, ut quæ sola post mortem auferre licet, id quod prudenter fecisse defunctum probandum est.

FONS VIII.

Ex Sepulchro.

EX hoc fonte licet rariores, vel ideò tamen utiles conceptus erui possunt, quod sepulchra variis rebus comparari, & Doctrinæ inde deductæ firmiter memoriæ imprimi queant.

Itaque I. Ex occasione Thematicis. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Cant. 8. Sepulchrum Scholæ comparari potest, ut ait S. Chrysoft. Hom. de fid. & leg. natur. *Ante portas sunt sepulchra, ante agros sunt sepulchra, ut ubique ante oculos esset humilitatis schola, & doceret nos, in quod desinamus tandem, & videamus, qualia futura sint phantasmata.* Tria autem in hac schola potissimum discenda. 1. *Quid simus*, nempe pulvis & umbra juxta illud Ecclesiæ: *Memento Homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hanc doctrinam bene didicit S. Franciscus Borgia ex funere Isabellæ Reginæ Hispaniæ conversus, & dicere solitus: *Augustæ mors mihi vitam attulit.* Rectè ergò S. Bernardus in sententiis dixit: *Tria hæc semper in mente habeto. Quid fueris, nempe sperma fatidum: Quid es? nempe vas Stercorum; quid eris, videlicet esca Vermium.* 2. *Quantilli simus*, quod nempe; ut S. Ambrosius l. de Naboth. c. 1. ait. *Cespes angustius aquè & pauperi abundet & diviti; Et terra, quæ viventi non*

non cepit affectum, totum iam divitem capiat. Hinc egregie Philippus Imperator in Hippodromo ex equo delapsus, cum impressam arenæ corporis sui figuram conspexisset, dixit: Ecce quam exigua nos arena capiet, qui totius orbis Imperium stultè affectamus. 3. Quid sint omnia mundana, nimium vanitas vanitatum; Ita ut de illis dici possit, quod Daniel cap. ult. de statua Beli aurea destructa dixerat: Ecce quem colebatis. Ecce maxima vestra bona; Ita Christus Marc. 13. videtis has omnes magnas ædificationes, non relinquentur hic lapis super lapidem, qui non destruat. vid. Fab. in conc. fu. n. 1. 23.

II. Ex occasione Thematis: *Erat hortus, & in horto monumentum novum* Jo. 19. Potest comparari Cæmeterium horto ob tres causas. 1. Quia in Cæmeterio perinde ac in horto reperiuntur multæ arcolæ (*betten*) seu tumuli, quos aliqui dicunt tumentes uteros esse. 2. Quia in eodem etiam stili lignei cum notis, id est, cruces cum Inscriptione reperiuntur, ut dignoscatur, quisnam ibi sepultus sit, scilicet Christianus, characterem agni in fronte habens, ut cum Angelus à percussione fervet. 3. Quia ex Cæmeterio varij homines scilicet boni & mali olim resurgent, & prodeunt, velut in horto flores, & zizania nascuntur. Hinc Apostolus: 1. Cor. 15. dixit, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quare concludendum, quod, etsi defunctus probabiliter inter flores sit numerandus; quia tamen etiam flores, ut citò nascantur, & prodeant, irrigatione opus habent, idè & ipse desideret, ut lachrymis, precibus, Sacrificiis, Eleemosynis, aliisque bonis operibus irrigetur. vide Fab. con. 2. funebri.

III. Ex occasione Thematis: *Vocatus est ager Hacedama, id est: Ager Sanguinis*: Matth. 27. Potest Cæmeterium agro comparari, (*einem Gotts-Acker*) diciturque representatum jam olim per agrum illum, pretio, quo Christus est venditus, emptum; Idque ob tres causas. 1. Quia in illum cadavera perinde ut semen resurrectura jaciuntur, teste S. Paulo 1. Cor. 15. sic & resurrectio mortuorum (intellige, erit sicut seminatio seminis) seminatur in corruptione, surget in incorruptione; Seminatur

in ignominia, surget in Gloria. 2. Quia est ager Figuli juxta illud Jer. 18. *Descende in domum Figuli, & ibi audies verba mea.* Sed quæ? Ecce sicut lutum in manu Figuli, sic vos in manu mea domus, Israel. Unde cavendum, ne in nos meritò dicatur illud Is. 45. *va qui contradicit Fictori suo de Samis terra.* Nunquid dices lutum Figulo suo; quid facis? 3. Quia ager sanguinis, id est, pretioso Christi sanguine emptus, imò etiam irrigatus, ut frumentum electum ferat. Incitandi proinde Auditores, ut defuncti cadaver libenter in hunc agrum seminent, & lachrimis aliisque operibus rigent, memores, quòd olim copiosum gaudiorum manipulum ex eo sunt reportaturi juxta illud Ps. 125. *Euntes ibant, & stebant mittentes semina sua, venientes autem cum exultatione portant manipulos suos.* vid. Fab. conc. fanebri 3.

IV. Ex occasione thematis: *In tenebris stravi lectulum meum:* Job. 17. Potest sepulchrum lectulo comparari ob sequentes causas. 1. Quia in eo dormit, & requiescit defunctus juxta illud Christi. *Amicus noster Lazarus dormit.* Jo. 11. 2. Quia ibi cessatur à laboribus, eò quòd nox ingruerit, de qua Christus Jo. 9. dixit; *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et S. Joannes Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* 3. Quia ibi exiit veste mortalitatis, ut indumentum cælestis gloriæ indui queat juxta illud S. Pauli 1. Cor. 15. *Opportet enim hoc corruptibile induere corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Excitandus itaque Auditor, ut Defuncto precetur voto & facto quietam noctem, dicatque cum Ecclesia; *Requiescat in Pace.*

V. Ex occasione Thematis: *Hic est titulus monumenti Rachel.* Gen. 35. Vel: *Posuerunt eum in monumento.* Act. 17. Dicit potest, cur sepulchra monumenta vocentur, nempe ob tres causas. 1. Quia monent nos quid simus, & quid futuri simus; Nimirum quòd simus cinis & pulvis juxta illud Eccl. 10. *Quid superbit terra & cinis?* Hinc Philippus Macedonia Rex puerum sibi quotidie ter inclamare jussit. *Philippe Homo es.* Sed & monet, quòd erimus esca vermium, juxta illud Ps. 17. Job. *Putredini dixi Pater meus es, & savor mea*

vermibus. Nimirum continget, quòd statuz Nabuchodono-
 foris, quæ ab unico lapillo dejecta est, contritæque sunt pa-
 riter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta in favil-
 lam. 2. Quia monet nos, quorsum tendant labores nostri,
 quòd nimirum omnia sunt vanitas, præter amare DEUM, &
 illi soli servire. Hinc DEUS Levit. c. 1. iussit plumas avi-
 um immolandarum & vesicularum gutturis in locum cineris
 abijci, ut ostenderet divitias & opes, & delicias ciborum, o-
 mnia tandem in sepulchro cum cadavere perire. Hinc illi
 Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & am-
 bulavimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia? aut di-
 vitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transferunt illa omnia
 tanquam umbra.* 3. Quia monent nos, ut memores simus
 defunctorum, & non permittamus locum apud nos habere
 commune adagium: *Ex oculo, ex animo.* Hinc veteres se-
 pulchris cordis figuram insculpere solebant, ut significarent,
 se corde illis adhuc conjunctos esse, & in ultima necessitate
 non derelicturos. vide Fab. conc. fu. septima.

VI. Ex occasione thematis; *Scio, quia morti trades me,
 ubi constituta est domus omni viventi.* Job. 30. Sepulchrum
 comparari potest domui ob tres causas. 1. Quia ibi nati fu-
 mus, & est domus nostræ Profapiæ, *das Stamm-Haus.* Nam
formavit DEVS hominem pulverem de terra. Gen. 2. Hinc ab
 hoc fundo primus Homo Adam ab Adama seu terra dictus.
 2. Quia in hac domo habitare debemus usque ad diem judi-
 cii juxta illud Pl. 48. *Et sepulchra eorum domus illorum in æ-
 ternum.* 3. Quia in illo nobiscum habitat Familia nostra
 tota. Hinc Hebraicè domus Machid, id est, Congregatio-
 nis vocatur, uti Jacob Patriarcha indicavit, dum Gen. 39. di-
 xit, *Ego congregor ad populum meum, sepelita me cum Patribus
 meis.* Hinc etiam DEUS Levit. cap. 25. Legem statuit; Ne
 terra venderetur in perpetuum (seu in proprietatem, ut Chal-
 daicus textus ait) Quia jure naturæ est communis omnium
 Mater, ut concilium Tiburiense cap. 16. asserit. Gratulan-
 dum ergo, quòd in hac domo pacificè quiescere ei concessum
 sit, optandumque, ut brevi in aliam domum non manufa-
 ctam transferatur.

VII. Ex occasione thematis: *Dies mei pertransierunt
 sicut navis.* Job. 9. Sepulchrum Telonio (*einem Zoll-Haus*)

comparari potest. Et 1. dici, quòd, ut S. Gregorius lib. 6. Epist. 26. ait, sit naviganti similis, qui undique à fluctibus hujus calamitosæ vitæ deprimitur ac impetitur. 2. Quòd Telsonium, ubi omnes vectigal pendere debemus, sit sepulchrũ, ibi enim omnes implere debemus, quod S. Paulus Heb. 9. dixit: *Statutum est omnibus semel mori, & post hoc iudicium.* 3. Quòd post hoc debitum solutum tandem facultas exscendendi ad portum concedatur. Quare excitentur Auditores, ut quoniam fortè adhuc Pars aliqua deest vectigalis persolvendi, ipsum in eodem persolvendo juvare contentur, ut citius ad portum appellere possit. vide Fab. con. fun. 6. 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Ingredieris in abundantia in sepulchrum. Sicut inferitur acervus Triticæ in tempore suo.* Job. 5. comparari potest sepulchrum Horreo, & 1. dici. Quòd sicut triticum & palea simul in Horreum portantur, ita & iusti cum injustis in sepulchrum. 2. Quòd triturentur à morte, quæ, sicut Job. 18. dicitur, *Calcet super illos, quasi Rex inservitus.* 3. Quòd excutiantur, & ventilentur à DEO, cuius *ventilabrum est in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit Triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Math. 3. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi ventilabrum in manus sumant, & paleas, si quæ adhuc Defuncto conjunctæ sunt, excutere suis operibus studeant.

FONS IX.

Ex ætate.

Hic Fons, si nullus copiosissimam affert materiam pro Exhortationibus, utpote, qui totidem particulares rivorum quor genera ætatis continet.

PRO INFANTE.

Itaque I. Ex occasione Thematis: *videte: Ne unum consemnatis ex his pusillis.* Math. 18. Dicendum, quòd olim Thraces & Frausvicini habuerint consuetudinem plorandi in Nativitate Infantis, & gaudendi in morte illius. Hanc autem multò magis in morte Catholicorum & Baptizatorum observandam esse, atque adeò ob tres causas gaudendum. 1. Quia certò Regnum cælorũ possident; si ergo gauderent pa-

rentes & cognati, si fortè Rex Hispaniæ aut Galliæ Titium
 natum ad se vocasset, atque in Successorem Regni destinâs-
 set, etiam si illum nunquam ampliùs viderent; quantò magis
 gaudere deberent, si eum à supremo Imperatore DEO voca-
 tum, & Regem cæli constitutum esse credant? 2. Quia
 DEUS ipse & Sancti, tum Angeli, tum alii Cælites gaudent
 summè de morte talis Infantis, quatenus numerum Sancto-
 rum DEUM laudantium auctum advertunt. An non ergo
 his potiùs, quàm imperfectis Hominibus de morte tristita-
 tibus conformare nos decet? 3. Quia DEUS magis illum
 diligit, quàm Parentes, magisque Patris nomen meretur, ut
 qui corpus & animam illi dederit; cùm ergo haud dubiè ideò
 mori tam maturè illum permisit, quia magis ad suam Glo-
 riam, & ipsius Infantis bonum hanc mortem conducere ad-
 verit, cur non & Parentes approbent hoc decretum, Filioque
 magis bonum gratulentur, & gaudeant? vid. Pist. *In dem
 Allgemeinen Klaghaus* con. 1.

I. Ex occasione Thematis: *Placita erat DEO anima
 illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquita-
 tum.* Sap. 4. Afferri possunt causæ, cur DEUS Infantes im-
 matura morte eripiat, quorum tres sunt potissimæ. 1. Pro-
 pter bonū Infantis ut eum à gravioribus malis eriperet. Hanc
 rationem Salomon Sap. cap. 4. indicavit, dum ait; *Placens
 DEO factus est dilectus, & vivens inter Peccatores translatus
 est; Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio
 deciperet animā illius.* Sic Rebecca Jacobum mittebat aliò, ne
 eum per insidias Esau amitteret. Gen. 47. & Josaba filia Regis
 Joram furabatur Joam Filium Ochoziæ, & occultabat, ne ab
 Athalia occideretur. 4. Reg. 11. 2. Propter bonum paren-
 tum; partim ut castigati propter peccata sua, quæ sæpè ex oc-
 casione Filiorum committunt, deinceps ab ijs desistant, sicut
 Davidem castigavit ereptione Filij ex Adulterio nati. 2. Reg.
 12. Et Valentem Imperatorem morte filij, quia ad eum Hæ-
 reticos vocaverat; partim ne amore nimio Liberorum ab a-
 more DEI & salutis propriæ cura avocentur. Quam rationem
 S. Chrysof. verbis his insinuat hom. 6. in Epist. ad Theff. *Quo-
 modo non putas DEVM irritari? Nam ob id ipsum plerumque
 Filios auferri, ne ad illum modum illis alligata sis, ut spem tuam
 ab eo auferas; amulator enim est DEVS, & vult à nobis omni-*
 um m.

um maximè diligi, idque ea ratione, quòd nos admodum vehementer amat. Propterea & DEVS illum tibi abstulit. Sic Mariti mortem interpretata est S. Melania, quæ eo mortuo gratias DEO egit, & dixit: *Iam expeditius servitura sum tibi, Domine, quia tanto me onere liberasti*, ut S. Hieronymus testatur Apoc. 25. 3. Propter bonum aliorum hominum; ut discant mortem timere; Si enim in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Sic Filij David videntes Amanem à Fratre Absolone occisum, omnes conscenderunt mulos suos, & ad Patrem fugerunt; sic & pulli Gallinacei videntes unum ab accipitric abreptum, sub matris alas confugiunt. vide Pistor. conc. 1. & Fab. conc. fu. 32. n. 3. 4. & 5.

III. Ex occasione Thematis: *Melior est dies mortis die Nativitatis*. Eccl. 7. ostendi potest, quàm bene actum sit cum Infante mortuo ob duplicem causam: Propter terminum, à quo discessit, scilicet à mundo, qui est miseriarum vallis & lachrymarum. Hinc & Plautus dicere solitus: *Quem Dij diligunt, Adolescens moritur*. Et Sylenus à Rege Mida interrogatus, quæ maxima esset Hominis felicitas? respondit, nunquam natum esse, vel citò mori. Hinc & Job. 3. & Jeremias cap. 20. maledixerunt diem, in qua nati sunt. 2. Propter terminum ad quem, scilicet propter Beatitudinis possessionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; de qua nunc Infans securus est, nec unquam redire cupit. Cur ergo & non parentes gaudeant, ibidem ipsum appulisse, quo ipsi venire tantopere desiderant?

IV. Ex occasione Thematis: *Descendam ad Filium meum lugens in infernum*. Gen. 37. Dici potest 1. evenisse videri Patri hujus Infantis, quod Jacobo olim contigit, dum ille multò veriùs, quam iste dicere potest: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph* (id est, mors repentina, quæ Filium sustulit.) *Descendam itaque lugens ad eum in Infernum*. ostendatur subinde lugendi causa ex qualitatibus Infantis. V. G. pulchritudine, amabilitate, integritate &c. 2. Consolari poterit Parentem dicendo venturum olim tempus, ut Filium suum perinde ac Jacob suum Iosephum recipiat, dicatque: *Sufficit mihi, si adhuc Filius meus vivit, vadam & videbo eum*. Gen. 45. Habeat proin patientiam, donec optatum tempus adveniat.

V. Ex occasione Thematis: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: Ille verò non revertetur ad me.* 2. Reg. 12. ostendi potest, quomodo se Parentes gerere debeant in Liberorum morte. Et 1. quidem, quòd cogitare debeant, quòd sæpe Liberi propter ipsorum peccata in matrimonio commissa puniantur, sicut Filium David propter Adulterium cum Bersabæa commissum punivit. 2. Quòd possint meritò dolorem concipere ob Liberorum periculum, quia juxta commune proverbium: *Kinder kònnen von Hergeu / vnd gehen wider zu Hergeu.* Atque adeò DEUM pro salute eorum deprecari, sicut David deprecatus est pro parvulo, & jejunavit, & super terram jacuit. 3. Quòd, si mortuus est filius, non debeant immodicè lugere, sed divinæ ordinationi & voluntati se submittere, sperantes, quòd aliquando sine ad ipsum venturi. Sic David post mortem Filii totus & unctus est, ingressus est domum DEI, adoravit, venit in domum suam, petijt panem, consolatus est uxorem suam, & prudenter respondit mirantibus: *Nunc quia mortuus est, cur ieiunem?*

VI. Ex occasione Thematis: *Exaudivit Dominus vocem Elia, & reversa est anima Pueri in eum, & revixit.* 3. Reg. 17. ostendi potest, quòd idem ferè Parentibus defuncti Infantis contingat, quòd scilicet gravissimè sentiant Filij mortem, & quodammodo quærantur ad DEUM: *Quid mihi & tibi, ò DEUS, Nunquid ingressus es ad me, ut renumerarentur iniquitates meæ, & interficeres Filium meum?* 2. Quòd Christus post mortem in lectulo seu sepulchro eum posuerit, ibique trina vice expanderit se super Puerum, quatenus ei assimilatus est, in utero per conceptionem, in vita per natiuitatem, in morte per resurrectionem. 3. Quòd Anima hujus Infantis suo tempore reversura sit ad corpus, ipsèque à Christo restituendus sit matri suæ, dicendumque: *En vivit Filius.*

PRO ADOLESCENTE.

VII. Ex occasione Thematis: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 3. Vel: *Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est:* ibidem dici potest, quòd Infanti huic acciderit verè, quòd Ganymedi olim

lim contigisse falsò & fictitiè fabulæ narrant. Potest ergo comparari Felicitas Adolescentis hujus cum Ganymede ex triplici capite. 1. *Ex dignitate raptus*; cùm hic raptus sit à DEO vero & summo Domino, ille à falso. *Ex finis præstantia*; propter quem raptus est, non ut ministret, sed regnet; Non ut pocula & epulas alteri porrigat, sed ipse fruatur, & gustet; Non ut vultu suo DEUM recreet, sed ipse DEI aspectu summè delectetur. 3. *Ex loci, ad quem raptus est, amantate & pulchritudine*; De quo dixit David Ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscis & despicis anima mea in atria Domini*: unde inferendum, si olim Ganymedes beatus reputatus est ob talem raptum, & nemo non illi sortem suam, licet ficticiam gratulatus est; quanto magis conveniat tristitiam moderari ob raptum defuncti Adolescentis, suamque illi verissimam & summam felicitatem gratulari?

VIII. *Ex occasione Thematis: Doleo super te, Erato mi, Ionatha, Decore nimis & amabilis super amorem mulieris, sicut mater unicum amat Filium, sic ego te diligebam.* 2. Reg. 11. ostendi potest: Quòd justus dolor concipiatur ex Defuncti morte. Eò quòd decorus nimis & amabilis fuerit propter varias dotes & qualitates: v. g. Ingenium, Formam, corpora Indolem, profectum in scientiis, & virtutibus, quales oportet breviter commemorare. 2. Dicitur potest hoc ipso, quòd tam amabilis fuerit, maturè subtrahendum fuisse; ne corrupteretur, sicut bonus Paterfamilias maturos fructus decerpit, ne computrescant: Pater videns Filium in periculo versari inter ceteras Nationes, mox revocat in patriam: Hortulanus flores teneros & delicatos in cella recondit, ne frigore perimantur. Itaque magis gaudendum, quàm tristandum.

IX. *Ex occasione Thematis: Ecce efferebatur Filius nicus matris sua.* Luc. 7. ostendendum varios assignari Portatores, qui Adolescentes ad sepulchrum deportent, bonos scilicet & malos. Et 1. quidem pro malis plerumque assignari hos quatuor Inobedientiam, luxuriam, Gulam, Temeritatem, de quibus videri potest Fab. Dom. 15. Pente. con. 3. Quos tamen in defuncto Adolescente non repertos fuisse probetur. 2. Pro bonis assignari voluntatem seu Gloriam Dei

merita Adolescentis, commodum Parentum, utilitatem in alios tum senes, tum præcipuè Adolescentes ex tali morte redunantem, quæ proin causæ breviter ostendantur.

X. Ex occasione Thematis: *Et dedit illum matri suæ* ostendi potest, quantum solatium capere debeat Mater Adolescentis; aliique cognati ex eo, quòd sperare & ipsi possint, quòd Christus iterum daturus sit hunc Adolescentem, non iam mortalem, ut illi matri dedit, sed immortalem; non variis miseriis subiectum, sed innumeris delitiis affluentem; non periculis salutis expositum, sed de felicitatis suæ perenni duritate securum. Quàm merito proinde dicatur matri: *Noli flere; & illud S. Pauli Thess. 4. Nolumus ignorare vos, Fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent.*

XI. Ex occasione Thematis: *Mortuusque est Aran ante patrem suum, in terra Nativitatis suæ in Vr Chaldaorum, Gen. 2.* Possunt tres saluberrimæ Doctrinæ afferri. 1. Quòd iste Aran primus fuerit, qui ante Patrem mortuus est, & hoc S. Scriptura tam signanter notârit, ut innueret mortem nemini parere, juxta notum illud: *Mors servat legem, tollit cum paupere Regem. Nullus eum emollit, Intvenem unà cum sene tollit; Contra vim mortis non est medicamen in hortis. Wann Gott will / ist unser Zill* 2. Quòd specialiter etiam S. Scriptura commemoret, cum in Patria esse mortuum inter suos, ut hoc pro speciali beneficio agnoscendum esse indicaret. Hinc DEUS Jer. 22. *Minatus est tanquam gravem panam: Et mitatum te, & matrem tuam, qua genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini.* Certè magna est consolatio à suis oculos claudi. 3. Quòd mortuus sit in Vr Chaldaorum, id est, in gratia & charitate (nam Vr ignem significat) & ideo beatus juxta illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. Wohl sterben / ist nicht verderben. Der gute Todt / hilfft auß der Noth. Andere Zeit / andere Freud.*

XII. Ex occasione Thematis: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sap. 4. Dici potest, sicuti fructus alij citius maturefcunt, atque adeò citius decerpi debent, ita & Hominiibus idem evenire. Talem autem Fructum fuisse defunctum Adolescentem, utpote quem maturum cælo fuisse colligi potest ex tribus indiciis, ex quibus pomorum & aliorum

runt

rum fructuum maturitatem colligere plerumque solemus.
 1. *Ex colore*: Per quem Modestia externa intelligitur, quæ qualis fuerit in hoc Adolescente, per partes ostendatur. 1. *Ex odore*: per quem bonum Exemplum intelligitur, quod tam sui similibus, quàm aliis, & præcipuè parentibus dedit, quam studuit proficere ætate, sapientiâ, & gratiâ, ita ut jure de eo dicere posset Parens cum Isaac Gen. 27. Ecce odor. Filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 3. *Ex sapore*, sicut quem intelligi potest vitæ innocentia, quia nil puerile, aut non satis excoctum, id est, passionum inordinatarum habebat.

PRO PUELLA VEL VIRIGNE:

XIII. Ex occasione Thematis: *Respondi vos uni Viri Virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 2. ostendi potest non habere parentes causam plorandi, cum Filia Sponsopotatissimo, scilicet Sponso cœlesti seu Christo desponsata, & jam in thalamum introducta sit, ut piè credere fas est. Describatur qualis sit Sponsus per conditiones in Sponsorumque requiri solitas à Sponsa, videlicet 1. Ut sit pulcherrimus. 2. Ut dives. 3. Ut nobilis. 4. Ut sapiens. 5. Ut sanus. 6. Ut amabilis & mansuetus. Quæ omnia in Christo facile erit ostendere. Claudatur Exhortatio illis verbis: Apoc. 19. *Gaudete, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt Nuptia, & uxor eius preparavit se.*

XIV. Ex occasione Thematis: *Et quæ parata erant intraverunt cum eo ad nuptias.* Math. 25. ostendi potest, quia merito defuncta virgo ad nuptias cœlestes evocata sit. Quia scilicet parata erat. Et 1. quidem tota mundata in balneo Pœnitentiæ; ita ut dicere de ea Sponsus posset: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. 2. Quia ornata aureo vestitu Charitatis: de quo Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* 3. Quia pretiosis montibus variarum virtutum erat ornata, de quibus S. Agustinus ut in Officio illius videre est, dixit: *Dexteram meam & cubitulum meum cinxit, lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inestimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus & ruscantibus gemmis.* Claudenda proin erit Exhortatio, & commendandum, quòd Filia Parentes suos perinde, ut olim S. Agustinus

de cælis apprensus, suos alloquatur: *Ne me mortuam Parentes
loqueamur, quia unâ cum his virginibus vivo apud illum in calis,
quem in terris dilexi.*

XV. Ex occasione Thematis: *Simile est regnum calorum
decem virginibus.* Math. 25. ostendi potest, quod merito de-
functa in cælum intromissa credatur. 1. Quia *Virgo* erat, &
sæ virginittatis conservandæ singularem curam gerens, dili-
genter fugiendo otium, malas occasiones, & societates. 2.
Quia *prudens* erat, diligenter considerando, quantum satius es-
set Christum quàm alium sibi in Sponsum assumere, utpote
qui solus, teste Sponsa Cant. 5. candidus & rubicundus, ele-
ctus ex millibus est. 3. Quia *lampadem cordis paratam*, &
oleo Charitatis accensæ bene instructam habebat; unde o-
portebit ostendere, quomodo hanc Charitatem erga DEUM
& Proximum ostenderit, itaque gratulandum ei potius, quàm
ex ejus discessu tristandum sit.

XVI. Ex occasione Thematis: *Surgam, & circuibo ci-
uitatem per vicos & plateas, & quæram, quem diligit Anima
mea.* Cant. 3. explicari potest ardentissimum Virginis desi-
derium, quo Christo copulari per amorem desideravit, simul-
que causæ explicari, ob quas tantopere eum amaverit, scilicet
propter eas, quas S. Agnes indicaverat, dum dixit: *Amo Chri-
stum, in cuius thalamum introibo, cuius mater Virgo est, cuius
pater faminam nescit. Cuius mihi organa modulatis vocibus
cantant; quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda
sum; cum accepero, virgo sum: ostendit mihi thesauros incom-
parabiles, quos mihi se daturum promisit.* Excitandi proin-
Auditores, & præcipuè virgines, ut & ipsæ hunc Sponsum e-
ligant, dictumque sibi ab eo putent. Quod 1. Reg. c. 1. El-
cana Uxori suæ dixit: *Nunquid tibi non ego melior sum, quàm
decem Filii* (aut Sponsi) dicant proinde cum S. Agnete: *Te
confiteor labiis, te corde, & totis viribus concupisco.*

XVII. Ex occasione Thematis: *Esther quoque inter a-
lias puellas tradita ei est, ut servaretur in numero faminarum,
qua placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius.* Ester. 2.
Dici potest defunctæ Virgini evenisse, quod olim sacri fasti
Estheri contigisse memorant; Nam & DEUS. 1. quæri jussit
puellas, id est, Animas speciosas, quæ loco Vasthi, id est Lu-
ciferi, seu Angelicæ rebellisve naturæ ei copularentur. 2.

Instr. VII.

I i

ut

Ut Esther non quæsit mundum muliebrem, id est, vanum & sæcularem, sed naturali, id est, à ratione, & fide sibi dictata pulchritudine seu innocentia vitæ contenta, placuit DEO præ aliis puellis sive animabus, ideóque iussit Is accelerari præparationem illius, & dedit illi socias septem puellas speciosas, id est, tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales.

3. Ut Esther ducta est post mortem à suo Angelo Custode ad cubiculum supremi Regis, & adamavit eam Rex plus, quam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres. Et posuit Diadema regni in capite ejus, dixitque: *Qua est petitio tua Esther, ut detur tibi, & quæ vis fieri? & si dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi.* Itaque gaudendum cum Mardocheo ob talem Filia assumptionem negotiâque ei nostra, quæ coram DEO feliciter transacta cuperemus, commendanda.

XVIII. Ex occasione Thematis: *Heu me Filia mea decipisti me, & ipsa decepta es.* Jud. 2. Narrari in primis potest Historia de Filia Jephthæ DEO immolata, & tres ex ea doctrinæ eruendæ. 1. Quàm verè dicere possit Pater defunctus: *Decipisti me, & decepta es.* Quia nec Ego, nec tu, nec alij putabant, te tam citò morituram. unde meritò Mors inspectata accidit. vid. Drex. in prod. cap. 1. §. 20. 2. Quòd sicut Jephthæ eam diligenter offerebat DEO; quia sic DEUS per voti Religionem ab eo exigere arbitrabatur, ita & Patres, quia sic DEUS exigit, libenter Filiam suam eidem in Sponsam offerre debeant, eique tantam felicitatem gratulati. 3. Quòd, sicut Filia Jephthæ, antequam DEO immoleretur, in sylvis flevit duobus mensibus, ita fortassis & Filia hæc in purgatorio defleat, & luat præteritam vitam suam, quæ adeò excitandi Auditores ut comitentur illam, & floreat cum illa, donec redeat ad Patrem suum cælestem, ibique DEO tota consecratur, & desponsetur.

XIX. Ex occasione Thematis: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac.* Gen. 22. Potest in Filii vel Filia unigenitæ morte ostendi quàm præclaram habeant Patres occasionem, Abrahamum, in immolatione Filij, imitandi, imò superandi. Itaque dictum sibi primò putent: *Tolle Filium vel Filiam tuam, quam diligis.* 2. Confurgant, & ponant in Sarcophago, velut lignorum stru-

3. Extendant manum, arripiant gladium egregiæ conformationis cum divina voluntate, dicantque cum Jobo: *Dominus dedit hunc Filium vel Filiam: Dominus abstulit. Sit Nomen Domini benedictum.* 4. Sperent se à DEO audituros: *Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cali.*

PRO MARITO.

XX. Ex occasione Thematis: *Occupatio magna creata est omnibus Hominibus, & iugum grave super Filios Adam.* Eccl. 40. Probari potest, quàm grave jugum ferant conjugati propter morum diversitatem, alimentorum difficultatem, Liberos carentiam, vel malos mores eorumdem, famulorum inobedientiam & Infidelitatem, separationem in morte, ubi tantò gravior est dolor, quântò major præcessit amor, juxta notum illud: *Was herzt/ das schmerzt. Was liebt/ bestrübt.* 2. Inferri potest, cum ab hoc onere modò uterque Conjux liberatus sit, & Maritus insuper, ut spes est, ad æternam quietem in cælis capiendam admissus, quòd non modò tristari non debeat, Uxor ob Mariti obitum, sed gaudere cum Melania Romana Matrona, quod nunc expeditius sibi & Deo vivere, & servire queat.

XXI. Ex occasione Thematis: *Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis cibum in tempore suo?* Math. 24. ostendi potest quàm perfectè defunctus officium boni Patrisfamilias gesserit. Et 1. quidem, quàm fidelis fuerit respectu DEI in mandatis ejus exactè observandis, & perfecta conformatione voluntatis suæ cum divina in omnibus casibus, præcipuè mortis tempore. 2. Quàm prudens fuerit respectu sui, quatenus scilicet ita aliorum curam gessit, ut suam salutem propriam omnibus præferret: ita temporalia administravit, ut omnia ad spirituale & æternum lucrum per bonam intentionem dirigeret. 3. Quàm fuerit liberalis & sedulus in Familia regenda, providendo non modò corporalem cibum refectionis, sed etiam spirituales solidæ Instructionis & paternæ correctionis in tempore suo: unde non dubitandum esse, quin DEUS nunc juxta promissionem suam super omnia bona eum constitue-

rit, atque adeò omnes ei gratulari & congaudere debeant.

XXII. Ex occasione Thematicis: *Pater noster, qui es in caelis.* Math. 6. ostendendum, quòd Liberi & Amici nunc post mortem dicere possint, quòd B. Aloysius post mortem sui Patris dixisse fertur: Nunc verè dicere potero. Pater noster, qui es in caelis: Itaque probari poterit, quòd Patris officium de caelis perfectius erga eos sit obiturus, quàm in terris fecerit. 1. Quia magis ibi eos diligit, cum non DEI Charitas duntaxat, sed proximi etiam, & Propinquorum innumeris partibus sit aucta. 2. Quia clariùs cognoscit eorum miseria, & necessitatem, magisque æstimare novit, maxime salutis incertitudinem, & æternæ mortis incurrendæ periculum. 3. Quia potentior est ad succurrendum, cum preces ipsius & ardentes sint ob affectum; & DEO gratiores propter perfectionem: Quare gaudendum potius de Patris & Amici obitu, quàm dolendum, eique cura sui & suarum rerum toto pectore committenda.

PRO UXORE.

XXIII. Ex occasione Thematicis. *Ecce Mater tua.* Jo. 19. Narrari potest ex Speculo Exemplorum pulchra illa Historia de Matre, quæ, cum filios suos alere se posse diffideret, ambos in templum duxit, suumque in illos maternum jus Virgini Matri transcripsit, & mox mirabiliter illis prospectum vidit, uti in cit. Spec. dist. 9. ex. 116. narratur. unde dici potest, quòd Mater defuncta idem respectu Liberorum suorum faciat, atque adeò hi non immoderatè tristari, sed potius de meliori Matre gratulari sibi debeant, & ad eam deinceps confugere.

XXIV. Ex occasione Thematicis. *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26. Dicitur potest, quòd Mater defuncta nunc imitari videatur Serpenthionem (einen Strauss) Qui, cum ova sua parit, foveam in arena facit, eaque sabulo operit, solique excoquenda relinquit. Quod, ubi est factum, Pullusque perfectus proditum demum Mater denuo ipsum cum gaudio cognoscit, & nutrit. Simili ergo modo Mater Liberos suos DEO committit, illaque ad eos verba S. Pauli cap. 5. usurpat: *Humilissimi sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

libertudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Excitandi proinde Liberi ad fiduciam erga hanc suam Matrem concipiendam; reliqui verò Auditores ad Exemplum hujus Matris imitandum.

P R O V I D U A.

XXV. Ex occasione Themat. *Viduas honora: qua verè Vidua sunt.* 1. Tim. 5. ostendi potest, quàm verè Vidua fuerit, quæ defuncta est imitando Turturē, quæ plerumque pro Exemplo Viduis proponitur. Et primò quidem, quòd post obitum Mariti non ampliùs nupserit, ut DEO faciliùs servire possit. 2. Quòd, ut turtur perpetuò gemuerit, id est, orationi & cælestibus suspiriis vacaverit. 3. Ut turtur nulli ampliùs viridi ramo infederit, id est, omnes vanitates mundanas repudiaverit, solas cælestes delicias consecrata. Quæ omnia fusiùs proponi & Exemplis illustrari possunt. vid. Pist. conc. fun. 16.

XXVI. Ex occasione Themat. *Luxitque eam omnis populus diebus septem.* Judith. 16. Dici potest, quòd meritò etiam Auditores lugendi causam habeant, eò quòd alteram Judith in Vidua defuncta amiserint; Nam primò & ipsa virtuti castitatem junxerat, dum, ex quo vir ejus defunctus est alium virum non cognoverat. 2. Quia & ipsa cum suis Puellis diligenter clausa morabatur, & jejuniò ac orationi indefinenter vacabat. 3. Quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. 4. Quia Holofernem longè potentiorē, scilicet, varios sollicitatores ad libidinem vel Matrimonium generosè superavit. Ob quam causam meritò ei suo modo acclamari poterat: *Tu Gloria Israel. Tu latitia Israël. Tu honorificentia Populi nostri.*

P R O S E N E.

XXVII. Ex occasione Themat. *Corona dignitatis senectutem, qua in viis iustitiarum reperietur.* Prov. 16. Dici potest meritò coronam dignitatis vocari senectutem in via Justitiæ consumptam, quia triplici ex titulo eam meretur. 1. *Propter senectutem naturalem*, de qua dixit Ecclesiasticus c. 8. *Ne spernas Hominem in senectute sua; etenim ex nobis senescunt.* 2. *Propter senectutem moralem*, de qua dixit Salomon. Sap. 4. *Senectutem*

senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata; Cani autem sunt sensus hominis, & etas senectutis, vita immaculata. Consummatus in brevi explevit tempora multa. 3. Propter senectutem aternam, de qua Apoc. 5. Et vidit, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, id est, Sanctorum, Agnum stantem. Excitentur proin Auditores ad honorem ultimum exhibendum, qui est sepultura Christiana, id est, cum auxilio spiritali conjuncta.

XXVIII. Ex occasione Thematis: *Timor Domini opponet dies, & anni iustorum abbreviabuntur.* Prov. 10. ostendi potest, quod, et si Senectus per se sit venerabilis, multo tamen per se sit honorabilior, si ex tam bona & honorata radice, scilicet timore Domini proveniat, esse autem timorem Domini causam longæ vitæ, colligitur ex triplici causa. 1. Quia DEUS est, qui habet vitæ & mortis potestatem, & dedit ad portas mortis, & reducit: uti Sap. 16. dicitur. 2. Quia, ut ibidem dicitur, Homo per malitiam suam occidit animam. Et ut S. David Pl. 54. ait, *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos; Atqui timor Domini expellit peccatum, reus Eccl. cap. 1.* Hinc Moyse Deut. 30. sic allocutus est Israelitas: *Testes invoco hodie calum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum: Et diligas Dominum DEVM tuum, & obedias voci eius, & illi adhareas.* Hæc enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua iuravit Dominus Patribus suis. 3. Quia timens Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum DEVS conservabit, & liberabit à malis. ut Ecclesiasticus c. 33. ait: Hinc Salomon Prov. 3. hoc hortatur. *Time Dominum, & recede à malo; Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossibus tuis.* Gratulandum proin Defuncto ob tam honestum senectutis Titulum. Atque ad eundem titulum Auditores excitandi.

XXIX. Ex occasione Thematis. Et (Abraham) mortuus est in senectute bona, proventaque atate, & plenus dierum congregatus est ad populum suum. Gen. 25. Dicit potest hoc fuisse pulcherrimum Abrahami Elogium, omnibusque notandum; videri autem non immerito etiam attribui ipsi defuncto. 1. Quia & ipse mortuus est in senectute bona, id est, honorata: nam, ut supra ex Prov. dictum; *Corona dignitatis senectutis*

qua in viis Iustitia reperitur, & ut idem Sap. 4. ait, *Senectus
et aetas venerabilis vita immaculata.* 2. Quia & in proce-
ssu aetate mortuus est, id est, procul vecta, dum non tantum in
aetate, sed etiam sapientia, gratia, & meritis quotidie cresce-
re studuit. 3. Quia plenus dierum, id est, meritorum tam
apud DEUM, quam apud Homines discessit; ita ut merito illi
applicetur, quod S. David Ps. 72. dixit: *Et dies pleni inveni-
entur in eis;* non vero menses vacui, de quibus Job, cap. 7.
locutus est. Itaque excitandus Auditor, ad plenam etiam
laudem defuncto tribuendam, & imitationem procurandam.

P R O A N U.

XXX. Ex occasione Thematis. *Vixit autem Sara 127.
annis, & mortua est.* Gen. 23. Dicitur potest videri hodie alte-
ram Saram mortuam. 1. Quia & ipsa defuncta erat Sara,
id est, *Dominica* suarum cupiditatum, & *odorans* seu *boni odoris*
per bonum Exemplum dati. 2. Quia ut Sara implebat il-
lud S. Petri. 1. cap. 3. *Quorum non sit extrinsecus capillatura,
aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed
qui absconditus est cordis Homo in incorruptibilitate quieti &
modesti Spiritus, qui est in conspectu DEI locuples, sic enim & san-
ctae mulieres sperantes in DEO amabant se.* 3. Quia sicut Sa-
ra obediebat Abraham Dominum eum vocans, ibid. ita & ipsa
suum Maritum honorabat, eique in omnibus obediebat.
Hinc & Apost. Coloss. 3. *Mulieres subditae estote viris, sicut
oportet in Domino, imò sicut Domino, & sicut Ecclesia est
Christo subiecta.* Eph. 5. 4. Quia ut Sara erat maxime pa-
tiens in sterilitate, & in improperiis Ancillae portandis, &
in imperata immolatione filii unigeniti, ita & haec Anus in
adversitatibus Viri, asperitate morbi, morte &c. Itaque sicut
Abraham luxit Sarain; ita etiam merito sui hanc Anum, sed
ita, ut observetur illud Eccl. 22. *Modicum plora super mortuo-
rum, quoniam requievit.*

FONS X.

Ex variis Statibus.

Hic Fons merito inter copiosissimos censerit potest, ut qui
plurimos alios, eosque uberrimos fontes in se compre-
hendit,

hendit, ex quibus tamen tantum potiores seligentur, & ex quovis unus alterve conceptus eruetur. Ex his enim non est difficile plures ejusmodi conceptus invenire.

PRO SACERDOTE.

I. Ex occasione Thematis. *Ascenditque Aaron Sacerdos in montem Hor iubente Domino, & ibi mortuus est.* n. 33. Potest Sacerdos mortuus Aarone comparari ob triplicem causam. 1. *Ob electionem*, quia & ipse designatus est Sacerdos per potestatem Sacerdotalem tanquam virgam, ex quaurgentibus gemmis bonorum operum eruperunt flores variarum virtutum (quarum aliquæ recenferi possunt) & foliis dilatatis in amygdalas, id est, solatium proprium, & subditorum formati sunt, vid. n. 17. 2. *Ob officium* quod gerebat, scilicet, ut esset Socius Moysis (id est, Christi.) Nam & de ipso dicebat quasi DEUS ad Christum quod Moysi Exod. cap. 4. dixerat: *Ipsa loquetur pro te ad populum, & eris os tuum: Tu autem eris ei in his, quæ ad DEVM pertinent.* Hinc tam sanctè & castè eloquia DEI tractavit; Item offerebat Sacrificia, & incensum suavissimum orationis, quæ facillè etiam Sacerdori defuncto applicari possunt, simulque ostendi, quod longè perfectius hæc omnia officia exercuerit. 3. *Ob mortem*; quia & Sacerdos, in montem Hor, id est, perfectionis ascendere iussus est cum Aaron, ibique libenter mortuus est, usurpans illud Simeonis. Luc. 2. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia toties non viderunt tantum, sed etiam tetigerunt, & gustaverunt oculi & sensus mei salutare tuum.*

II. Ex occasione Thematis: *Senuit autem Ionathas plenus dierum, & mortuus est.* 2. Par. 24. Pulchrè comparari potest Sacerdos Ionathæ. 1. Quia refici, & instaurari curavit domum ad cultum DEI, uti l. c. legitur. 2. Quia erat plenus dierum, id est, meritorum erga DEUM propter legitimum cultum; erga Ecclesiam propter fidelitatem in defendendis cæremoniis & fide Catholica: Erga Parochianos propter fidelem administrationem officii: erga suos domesticos & consanguineos propter sincerum & paternum amorem. 3. Quia & ipse cum Regibus (Sacerdotibus) in civitate David, id est, Ecclesia ubi Christus velut verus David in throno suo, id est, Hierophylacio sedet, & regnat, sepultus est.

III. Ex

III. Ex occasione Thematis: *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI quorum intuentis exitum conversationes imitemini fidem.* Hebr. 13. Excitari possunt Auditores, ut, cum defunctus Sacerdos toties pro ipsis & aliis memento in SS. Sacrificio missae fecerit, etiam ipsi nunc & deinceps tria in ipsius solatium memento facere ne graventur. 1. *Memento gratitudinis*, in memoriam revocando beneficia ab eo accepta: Quam fideliter Sacramenta administravit; quam zelose & utiliter verbum DEI praedicavit; quam impigre & constanter diu noctuque adstiterit. Dicant proin cum S. David Ps. 115, *Quid retribuam ei pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* 2. *Memento imitationis* juxta illud Hebr. 13. *quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem, in ea perseverando:* Spem, nunquam eam deserendo: Charitatem, totis viribus eam procurando: Humilitatem, eam constanter exercendo: Itaque sibi dictum ab eo, velut è sepulchro credant illud S. Pauli 1. Cor. 4. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 3. *Memento subventionis*; ut scilicet, sicut is toties in necessitatibus subvenit verbo & opere; ita & ipsi nunc mutuas vices exhibere ne graventur, ideoque credant sibi nunc dictum illud S. Joan. 1. c. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate.*

IV. Ex occasione thematis: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Jo. 10. ostendi potest, quam bene officio Pastoris functus fuerit defunctus Sacerdos. 1. Quia verè poterat dicere: *Ego cognosco meas, & cognoscunt me mea.* Hinc tam sollicitè indagavit statum cujuscunque & miserias; Hinc etiam in tanta veneratione à suis ovibus est habitus. 2. Quia diligenter pavit verbo DEI, Exemplo, & Corpore Christi, & eduxit ad fontem aquae salientis in vitam aeternam, per sedulam administrationem Sacramentorum. 3. Quia dum eas ad ovile Christi duxit, vadebat ante eas, id est: Quae facienda dicebat in concionibus, prius proprio Exemplo docebat, & confirmabat. 4. Quia fortiter defendit contra Leonem, Diabolum circummeantem & quærentem, quem devoret; contra lupos, id est, homines malos, praecipue Hæreticos & malos socios & in his laboribus animam posuit: Uade Excitandi Auditores, ut vel nunc Pastorem suum

agnoscant, vocem ejus auxilium invocantis audiant, & sequantur, saltem affectu usque ad purgatorium, & ibi pariter animam suam ponant pro eo, satisfactiones suas, quibus se à purgatorio liberare poterant, eidem applicando:

V. Ex occasione thematis: *Et vidi, & ecce nubes magna & ignis involvens, & splendor in circuitu eius, & in medio eius similitudo quatuor animalium.* Ezech. c. 1. ostendi potest de functum meritò illis quatuor animalibus ab Ezechiele visis comparari. 1. Quia habebat faciem *Hominis* propter singularitatem humanitatem, quàm cum singulis agebat: *Bovis* propter labores tam fortiter & constanter exantlatos: *Leonis* in peccatoribus terrendis, difficultatibusque superandis: *Aquila* in perspiciendis veritatibus cælestibus, aliisque rebus ad officium pertinentibus. 2. Quia in eo erat ignis involvens, scilicet zelus animarum, qui vires ei addebat, ut sicut fulgur iret, & reverteretur. 3. Quia splendor in circuitu ejus erat, dum passim apud omnes famam perfecti & Sancti Pastoris fuerat consecutus, in cælis autem multò magis fulgebit juxta illud Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & sicut stella in perpetuas aternitates.*

VI. Ex occasione thematis: *Cùmque pergerent, & incidentes sermocinarentur: Ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* 4. Reg. 2. Dici potest idem contigisse Pastori defuncto, & 1. quidem per currum igneum zeli geminis rotis Charitatis DEI & proximi constantem fuisse raptum. 2. Tractum fuisse ab equis igneis, id est, quatuor virtutibus cardinalibus, à Charitate earum actus imperante, inflammatis. 3. Per turbinem ardentissimi desiderij, quo semper cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, ascendisse in cælum: Excitandi proinde Auditores, ut & ipsi dicant cum Elisæo: *Objecro te, Domine, sias in me Spiritus duplex tuus.*

PRO RELIGIOSO.

VII. Ex occasione thematis: *Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. cap. ostendatur. 1. Quòd per iugum hoc potissimum Perfectionis studium intelligatur, utpotè quòd meritò dicitur iugum Christi, quia ipse verbo & exemplo ad id portandum

dum invitavit, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget se-
met ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me, Luc. 4.* jugum
suave propter internas consolationes ex bonæ conscientie te-
stimonio provenientes: Quas Christus per illa verba: *Et
invenietis requiem animabus vestris:* indicavit; onus leve
propter amorem, qui teste Thom. K. l. 3. cap. 5. *Leve facit
omne onerosum, & ferè aequaliter omne inæquale, nam onus sine
onere portat; & omne amarum dulce facit.* 2. Ostendatur,
quàm alacriter & constanter defunctus hoc jugum susceperit,
atque portaverit. Percurrendo potiores Religiosi Fun-
ctiones, & quàm accuratè eas obierit, Exemplis demonst-
rando, & concludendo quàm meritò nunc credatur requiem à
Christo promissam accepisse; quàm proindè & ipsi Audito-
res etiam apprecari debeant dicentes: *Requiem aeternam do-
na ei domine, & lux perpetua luceat ei.*

VIII. Ex occasione thematis: *Domine. Duo talenta
tradidisti mihi; Ecce alia duo superlucratus sum, Matth. 25.*
Ostendè potest; quòd per duo talenta juxta alios intellectus
& voluntas, aut potentie internæ aut externæ, juxta alios
gemina Charitas DEI & proximi intelligatur. Eligatur er-
gò una ex his explicationibus, & ostendatur, quàm benè im-
penderit illa duo talenta Religiosus defunctus, varios illius
virtutis aut potentie actus ab eo exercitos enumerando.
1. Ostendatur similiter, quomodo alia duo talenta lucratus
sit, scilicet gratie vel glorie augmentum, vel salutem pro-
prium & alienam; utroque enim modo potest explicari, ge-
minum hoc Talentum. 3. Inferatur, quàm meritò sperari
possit illum audivisse à Christo verba illa: *Euge serve bone
& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constitu-
am: Intra in Gaudium Domini tui.*

PRO OFFICIALI ALIQUO AULICO
PRIMARIO.

IX. Ex occasione thematis: *Filius accrescens Joseph; Fi-
lius accrescens, & decorus aspectu, Gen. 49.* comparari potest
defunctus officiali Josepho ex tribus præcipuè capitibus.
1. Sicut Joseph erat Filius accrescens in timore & amore
DEI, fugiendo peccatum omne, & præcipuè Luxurie. 2. Quia,
sicut Joseph erat Filius accrescens in Fidelitate erga suos Do-
minos

miſſos, nolens attingere ea, quæ ad ipſos pertinebant, etſi frequenter à divitiis & honoribus, perindè ut Joſeph ab uxore Putipharis ad inhoneſtam contrectationem tentaretur. 3. Quia erat Filius accreſcens in charitate erga ſubditos quos non ut ſervos, ſed ut proprios Filios amabat, & fovebat. Hinc meritò in ipſo quoque impletum eſt, quod Jacob Filio ſuo Joſeph ſequentibus verbis apprecatus eſt; *DEVS Patris tui erit Adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus uberum, & vulvæ; Donec veniat deſiderium collium æternorum*: vid. Joſeph. Drexelij.

X. Ex occasione thematis: *Tunc Rex Daniel in ſublime extulit, & munera magna & multa ei dedit, & conſtituit eum Principem ſuper omnes Provincias Babylonis.* Dan. 2. oſtendi poteſt, quòd defunctus ſimilem ferè fortunam cum Daniele habuerit. 1. Ergò oſtendatur quantopere à ſuo Principe æſtimatus, & ad varia officia per gradus exaltatus ſit, ipſe autem quàm demiffè, ſe ſemper geſſerit jure uſurpans illud David Pf. 130. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei*; nimirum recordabatur doctrinæ ab Eccleſiaſtico data cap. 3. *Quantò magnus es, Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* 2. Quomodo Princeps ipſius, & magis ipſe DEUS dederit, illi munera multa & magna, quorum aliqua enumerari poſſunt, præcipuè virtutes, utpote de quibus S. Bernardus dicit; *Sola vera opes ſunt, quæ nos virtutibus divites faciunt.* 3. Quomodo etiam in talentis, per quæ Daniel tantoperè exaltatus eſt. ſimilis illi extiterit, nempe in Religione erga DEUM, omni timore & reſpectu humano ſepoſito: In prudentia & ſapientia ad regendum: in conſtantia & patientia inter perſecutiones, aliæque adverſa, quæ Leonibus comparari poſſunt; vid. Dan. Drex.

XI. Ex occasione Thematis: *Ecce ſtatua magna una grandis ſtatua illa magna, & ſtatua ſublimis ſtabat contra te.* Dan. 2. Poteſt defunctus ſtatux tali comparari dicique: Quòd Anima illius ſimilis ſit vel fuerit ſtatux quoad temporalia, habueritque caput aureum & ſummam dignitatem officij, quòd gerebat, quòque caput aliorum conſtitutus eſt: *petrus & brachia argentea divitiarum, & poſſeſſionum: ventrem & femora ex are, id eſt, honorem, famam, & favorem* apud

apud Principem suum & subditos: *Tibias partim ferreas* propter invictam in occurrentibus quibuscunque difficultatibus fortitudinem atque constantiam; *partim fictiles* ob mortalitatem & inconstantiam horum omnium, sicut apparebat in fine, ubi unicus lapillus; nempè mors hanc totam statuam dejecit, & omnia contrivit. 2. Potest explicari in spirituali sensu, & per aurum intelligi Fides, spes & Charitas; Per argentum religio; Per æs misericordia, & charitas erga proximum, Justitia & Temperantia; Per ferrum fortitudo & constantia; Per lutum Humilitas & resignatio erga DEUM, per quam tam facilè deijci & conteri se passus est. vid. Pist. conc. funeb. 18.

PRO OFFICIALI BELLICO.

XII. Ex occasione thematis: *Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.* 2. Reg. 3. comparari possunt. 1. inter se Mors & Mars, dicique similes propter tria. 1. Propter *nominis affinitatem.* 2. Propter *causam*, ex qua oriuntur nempè, propter peccatum juxta illud S. Pauli 6. Rom. *stipendia peccati Mors, & Mars.* 3. Propter *effectus*, quia uterque terribilis, nemini parcit, omnibus spoliat, subito & insperato venit. 2. ostendi potest, quomodo in utroque se gesserit Defunctus, non sicut ignavi, sed imperterritus exceperit, fortiter & constanter steterit in præliis (quorum aliqua, & præcipuè lucta cum morte enumerari poterunt) & feliciter triumphavit contra hostes temporales & spirituales, (quæ maxima est victoria) & ipsam mortem, ita ut ipse quoque usurpare possit illud S. Pauli 1. Cor. 15. *Absumpta est Mors in victoria, ubi est mors victoria tua? ubi stimulus tuus?*

PRO JUDICE.

XIII. Ex occasione thematis: *Qui sequitur Justitiam, & faciet misericordiam, inveniet vitam, justitiam & Gloriam.* Prov. 25. ostendi potest, quomodo defunctus exercuerit triplicem Justitiam, *Legalem* erga DEUM & Cælites per Religionem; erga Superiores per obedientiam, erga Parentes & Liberos suos per pietatem, erga subditos per mansuetudinem, & Clementiam: *Commutativam* inter partes ad judicium venientes, ubi ob oculos habuit monitum Josaphat. 2. Par.

Paſ. 19. *videte, quid faciatis; non enim hominis exercitiu iudicium, ſed DEI, & quodcumque iudicaveritis, in vos redimabit: ſi timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta faciite. Non eſt enim apud DEVM noſtrum iniquitas, nec Perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Hinc Athenienſes noſtu iudicabant, & ante ſedem Iudicis imaginem oculis & manibus carentem ponebant: *Vindicativam* in delictis puniendis. 2. Quomodo miſericordiam ſociarit, pauperum cauſas promptè ſuſcipiendo, & ſine reſpectu potentum iudicando, damnatis compatiendo, ita ut verè locum haberet illud Pf. 84. *Miſericordia & veritas obvii verunt ſibi. Iuſtitia & pax oſculata ſunt.* 3. Quomodo vitam (temporalem & æternam) juſtitiam (apud DEUM, qui ei tribuit coronam Juſtitia, & de Adverſariis vindicabit) & gratiam apud DEUM & Homines repererit.

XIV. Ex occasione thematis: *Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo.* Pf. 16. Dici poteſt, Iudicibus & Magiſtratibus commiſſum eſſe corpus Chriſti cuſtodendum, ſicut olim Pilatus Judæis Marth. 27. dixit: *Ite, cuſtodite, ſicut ſcitis.* Atque adeò debere eos eſſe armatos ſicut Milites apud ſepulchrum Chriſti vigilantes pinguntur. Et 1. quidem habere corpus æreum ſeu *loricam* triplicem amoris DEI, Proximi & ſui ipſius. Item triplicis Juſtitia legalis, commutativa, vindicativa. 2. In capite *Galeam* puræ intentionis ſoli DEO placendi, & Juſtitiam adminiſtrandi, ut ſic contra reſpectus humanos deſenſi ſint. 3. In manibus *chirotonias* ferreas, id eſt, firmum decretum non acceptandi munera, quæ excæcant prudentes, & ſubvertunt corda juſtorum. Qui autem excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelsis habitabit. Iſa. 32. 4. *Hañtam*, quæ partim dividat per Juſtitiam commutativam, cuius tribuendo jus ſuum: partim repellat eos, qui corpori Chriſti, id eſt; Republicæ dampnum inferre moliuntur. Quæ omnia oſtendatur, accuratè à deſuncto fuiſſe obſervata, ut adeò cum veritate dicere poterit: *Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, & expertus ſit verificari illud Sap. 8. Et ſi iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes.*

XV. Ex occasione thematis: *Milizia eſt vita hominis ſuper terram.* Job. 7. oſtendi poteſt, quàm difficilis & periculosa

sa sit militia, vita hominis, ob tres causas. 1. Propter hostium potentiam & astutiam; nam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus, Eph. 6. 2. Propter locum; quia non sub muris, sed aperto Marte & campo pugnandum est, & in loco, ubi minimè putatur. 3. Propter incertitudinem victoria; (cum etiam fortissimi quique succubuerint,) & mortem aeternam ex eius amissione subsequituram. Hinc Apostolus I. c. monet: Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, nempe loriceam iustitiae (& charitatis) calceati pedes (per constantiam, vel ut alij, memoriam mortis) scutum Fidei sumentes (de qua sibi dictum putent à Matre Ecclesia, quod olim Spartana mulier Filio dixerat; aut cum hoc redi, aut super hoc) galeam salutis, id est, spem ejusdem per Christi merita obtinenda: Gladium Spiritus (quod est verbum DEI) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu. vid. Pist. con. fun. 19. post med.

XVI. Ex occasione thematis. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi 2. Tim. 4. ostendi potest, quod bonum certamen certaverit miles defunctus ex triplici capite. 1. Bonitate finis: Quia non propter vanam gloriam aut lucrum temporale, sed propter defensionem gloriae divinae, Fidei, & Patriae pugnavit. 2. Bonitate iustitiae & charitatis: quatenus observavit illud monitum S. Joannis Baptistae militibus datum Luc. 3. Neminem concuriatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. 3. Bonitate fortitudinis in aggrediendo, repellendo, vincendo hoste; quam adeò merito repositam habuerit coronam iustitiae à Domino reddendam in die iudicij.

XVII. Ex occasione thematis. Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud Matth. 2. ostendi potest, quomodo defunctus vim caelo intulerit. 1. Ascendendo per scalam mandatorum DEI. 2. Ignem charitatis injiciendo. 3. Cuniculos humilitatis fodiendo. 4. Globis orationis mauros quatendo. 5. Tormento (Morser) Mortificationis & abnegationis propriae portas effringendo. Quae omnia fufius per Exempla demonstrari possunt.

PRO MERCATORE.

XVIII. Ex occasione thematis: *Simile est Regnum caelorum Negotiatori quarenti bonas Margaritas.* Matth. 13. Ostendi potest, quàm benè Negotiatoris officio functus sit. Et. Quòd bonas & veras Margaritas emerit, nempe virtutes solidas, quas non tantùm tempore prosperitatis, sed etiam ad versitatis exercebat. 2. Quòd non unam duntaxat, sed multas & varias emerit, præcipuè timorem DEI, justitiam in emendo & vendendo. Liberalitatem & misericordiam erga pauperes, constantiam & patientiam in adversis, quarum actus numerari possunt. 3. Quòd illas Margaritas prudenter non mundo aut hominibus qui vilissimum vanæ laudis pretium offerunt, sed DEO, qui integrum Regnum caelestis praeiis offert, per purissimam intentionem vendiderit: unde merito post mortem jam expertus est, quod de muliere sapiente Prov. 13. dicitur: *Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio eius.*

XIX. Ex occasione thematis. *Dedit omnia sua, & comparavit eam.* Matth. 13. ostendi potest. I. Quàm pretiosam Margaritam, nempe Regnum caelorum emerit, quod merito assimilatur Margaritæ propter splendorem (visionis beatificæ) virtutem corroborandi & satiandi animam per delicias caelestes, & decus, quod Beatis affert, juxta illud Ps. 72. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEVS.* 2. Quo pretio emerit, scilicet se & omnia dando juxta consiliun. Augustini in lib. de Spirit. & anima. *Ecce venale est regnum DEI; amo, si vis; nec multum existimes de re magna propter pretii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli querere quid habeas, sed qualis sis: res ista valet, quantum, quantum es tu, Te da, & habebis illam. Sed malus sum, inquires, & fortè me non accipiet: dando te illi bonus eris. Ostendatur proin, quomodo defunctus se dederit, scilicet totam suam voluntatem divinæ conformando, juxta monitum Thom. Kemp. l. 3. cap. 37. *Dixi tibi sapissimè, & nunc iterum dico; Relinque te, resigna te, & fruèris magna interna pace; Datorum pro toto, & habebis me.**

PRO OPIFICE.

XX. Ex occasione Thematis. *Voca Operarios, & reddet illis*

illis mercedem. Matth. 20. ostendi potest. 1. Quàm fideliter & diligenter in vinea Domini operatus sit defunctus, dum scilicet vineam Animæ suæ diligenter circumfodit per humilitatem: pampinos & palmites potentiarum suarum alligavit ligno crucis, id est, Christo, & mandatis illius: Superflua germina inutilium desideriorum diligenter tempore suo amputavit per mortificationem: botros virtutum suarum subiecit torculari per patientiam, sicque vinum veræ solidæque internæ lætitiæ DEO & sibi creatæ expressit. 2. Quàm largam mercedem acceperit, scilicet denarium continentem tres partes ad summam felicitatem pertinentes, Associationem Sanctorum, adimplerionem desideriorum, amotionem malorum. Itaque Auditores ad gratulationem talis mercedis, similémque in operando fidelitatem & industriam excitandi.

XXI. Ex occasione Thematis: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Jo. 9. ostendi potest, quomodo defunctus de die laborarit, nimirum, quia laboravit, dum Sol divinæ iustitiæ ei per gratiam illuxit, seu quia opera sua in statu gratiæ semper peragere studuit. 2. Quia laboravit, dum dies hujus vitæ seu occasio merendi duravit, semperque illud Eccl. 9. ob oculos habuit. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Quare cum, teste Salomone Eccl. 2. *Dulcis sit somnus operanti,* gratulandum erit defuncto, & requies sempiterna apprecanda.

XXII. Ex occasione Thematis: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem* Eccl. 51. ostendi potest. 1. Quàm verè dicatur, defunctum, etsi per totam vitam assiduis fuerit in laboribus, modicum tamen laborasse, quia teste: Dav. Ps. 89. *Mille anni ante oculos tuos (DEI) tanquam dies hesternæ, quæ præterit.* 2. Quàm multam requiem invenerit, illam scilicet, de qua S. David Ps. 126. dixit. *Cum dederit dilectis suis somnum, Ecce hæreditas Domini.* Illam, de qua DEUS Apoc. 4. dixit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo dicit Spiritus, quoniam requiescent in laboribus suis.* Unde dicit jam defunctus ex sepulchro ad suos, quod olim S. Cassianus Edux sepultus S. Germano Altissimi. *Instr. VII.* K k fido-

fiodorensi Episcopo eum quaerenti, quid agis hic charissime Frater? respondit: dulciter. In pace quiesco, & adventum Redemptoris exspecto.

XXIII. Ex occasione Thematis. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* 1. Cor. 3. Dicitur potest, DEUM in recipiendis ad cælum Sanctis facturum, quod olim Caro Censorinus, quando alicui civitatis jura concedere volebat, fecit, dum scilicet manum sibi à Candidato porrigi voluit, quam si callosam & laboribus obtritam aspexit, in civem eum assumpsit; secus si tenellam & politam vidit. Id sanè Sanctus Gregorius hom. 37. in Evang. indicavit, dum dixit: *Ad magna premia perveniri non potest, nisi per magnos labores.* Hinc ipse Christus in laboribus erat à juvenute sua. Ostendatur deinde, etiam defunctum fuisse in iis ita ut jure cum S. Paulo 2. Thess. 3. dicere posset: *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non iniqui fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Meritò ergò sperandum, quòd cum magni fuerint defuncti labores, magna quoque illius merces sit futura.

PRO RUSTICO.

XXIV. Ex occasione Thematis. *Simile est regnum caelorum thesauro, abscondito in agro.* Matth. 13. Dicitur potest fuisse olim Rusticum, qui, ut Filios suos ad laborem incitaret, in agone eos ad se vocavit, dixitque in vinea sua thesaurum latere, quem post mortem suam ad eum pertinere velit, qui primus eam effodisset, undè Filij post mortem Parentis totam vineam magno labore circumfodientes, thesaurum quidem nullum reppererunt, sed vineam egregiè circumfodiendo, magnum ex ea lucrum fecerunt. Inferatur deinde, simili modo DEUM cum hominibus egisse, atque ut multos ad vitam rusticanam iucitaret, manifestasse illis, quòd regnum caelorum simile sit thesauro in agro abscondito, id est, qui per labores in agro, ut oportet, exercitos maximè obtineatur, idque ob triplicem causam, quia scilicet ibi humilitas, patientia, & charitas maximè exercetur, quæ omnia in defuncto & aliis per Exempla probari possunt.

XXV. Ex occasione Themat. *Venite benedicti, & possidete paratum vobis regnum.* Matth. 25. Narrari potest à Majoribus nostris Rusticorum officium sic representatum fuisse. Pingebant inprimis Pontificem cum toto Clero, & subscribebant: *Ego oro pro vobis omnibus*: In altero latera pingebant Cæsarem & alios Principes armatos cum hac Inscriptione: *Ego defendo vos omnes*: Juxta hos pictus erat Rusticus saccum farinâ plenum in humeris portans cum hoc Lemmate: *Ego alo vos omnes*: Tandem & mortem juxta hos depinxerunt dicentem. *Ego de vero vos omnes*, Inferatur ex hoc, quanta spes concipi queat, quòd defunctus illam vocem: *venite benedicti &c.* auditurus sit, ut cui verè Christus dicere possit: *Esurivi, & tu dedisti mihi manducare agros colendo: Sitivi, & tu dedisti mihi bibere vineas curando: Nudus eram, & tu vestivisti me, pecora pascendo, & custodiendo: à quibus pelles & lana habentur.* Quomodo proin & ipsum Christus pane & nectare Angelorum pasturus, & Gloriæ vestre circumfaturus sit.

XXVI. Ex occasione thematis: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. Narrari potest, quòd, cum S. Franciscus quondam nudus & vili tunica tectus incederet, Frater ipsius Carnalis per modum joci ab eo petierit, ut pro crucigero sudorem venderet: Cui S. Franciscus respondit: *Ego sudorem meum non vendo hominibus, sed DEO.* Inferatur dein idem videri defunctum hodie dicturum, ut qui sciat, quàm pretiosus sit sudor laborantium in conspectu DEI, uti B. Virgo quondam significavit, dum sudorem laborantium Fratrum Chrystallino vasculo exceptum Fratri cuidam ostendit, dixitque, se ideo eum collegisse, ut eum conspectu DEI, qui summè eodem delectetur, representet. Imò idem etiam miraculo pulchro confirmavit, dum post mortem Mennæ Monachi, qui ex obedientia hinc inde discurrendo vitam transegerat, balsamum odoratissimum exsudare fecit. Excitentur proin Auditores, tum ad gratulationem tum ut currant in odorem benevolentis sudoris hujus:

XXVII. Ex occasione Themat: *Itaque Fratres mei stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* 1. Cor. 15. Narretur, quòd, cum Cajus Furius Ctesinus ex parvo agello

plures longè fructus, quàm alij ex magnis agris reportasset, accusatus à Spurio Albino de veneficio, sua instrumenta rustica secum ad senatum attulerit, eaque ante se proijciens, hæc tandem esse instrumenta veneficij sui dixerit: Inferatur, etiam idem videri defunctum facere, & si quidem copiosos fructus quos in hac & altera vita reportavit, quis miretur, rustica sua instrumenta, quibus ad laborem usus est, ostendere, diceréque, ea esse potissima media, quibus totum fructum obtinuerit. Hinc & Apollo Aglaam Iophidicum felicissimum in terra dicebat, eò quòd in Arcadia in vili, sed frugifero prædio vixerit. Et jam olim magis bonus Agricola, quàm miles laudabatur, dicebatúrque: *Ein Ackers-Mann ein wackerer Mann.* Quia: *Ackers-Mann erwirbt. Krieger-Mann verdirbt.* Hinc & Virgilius 2. Georg.

O fortunatos nimium, bona si sua nôssent.

Agricolis, quibus ipsa procul discordibus armis.

Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.

XXVIII. Ex occasione Thematis. *Capitque Noë vir Agricola exercere terram, & plantavit vineam.* Gen. 9. Dicitur potest DEUM voluisse Noë primum esse Agricolam, ut Rustici haberent Exemplar vitæ Rusticæ, & tres ab eo virtutes Rusticorum proprias discerent. 1. *Pietatem & iustitiam DEI;* nam teste S. Scriptura Gen. 6. *Noë erat vir iustus atque perfectus & invenit gratiam coram Domino.* Hinc Rustici præcipuè sibi dictum credere debent illud Matth. 6. *Quæritis primum, regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adiciuntur vobis.* 2. *Sedulitatem,* quàm arcæ constructio ostendit. Eadem Rusticis necessaria, nam *sedula manus ditat,* uti Salomon ait Prov. 4. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat;* Hinc Calumella l. 1. cap. 1. dicit, agros se ut debitores habere, qui nil dant, nisi monentur per culturam. 3. *Constantiam,* non enim curavit Irreflexiones Vicinorum aut laborum difficultatem; sic & Rusticus perseverans usque ad finem, salvus erit. *Nemo enim movens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI.* juxta Christi Luc. 9. testimonium. Ostendatur tandem, quomodo hæc omnia defunctus observârit.

XXIX. Ex occasione thematis: *Pater meus Agricola*

est. Jo. 15. Dicatur, Christum voluisse Patrem suum vocare Agricolum, ut discerent Rustici, conditiones boni laboris: Nam ut Pater cœlestis usque modò operatur, nunquàm otiosus; ita & Rustici qui ante omnes sibi applicare deberent illud Job. c. 5. *Sicut avis ad volatum; ita homo ad labores natus est.* Atque adeò pro Symbolo habere deberent illud Severi Cæsaris; *Laboremus.* 2. Ut Pater æternus operatur omnia in omnibus; ita & Rusticus diligenter suis Domesticis cooperari. & invigilare debet, ut de ipso dici possit, quod Salomon de forti muliere Prov. 3 1. dixit. *Consideravit semitas domus sua, & panem otiosa non comedit.* 3. Ut pater æternus *universa propter semetipsum operatus est.* teste Salomone Prov. 16. Ita id ipsum Rusticus facere debet sequendo consilium S. Pauli 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Gloriam DEI facite.* Ostendatur proinde quàm accuratè hæc omnia observârit Defunctus.

P R O M E N D I C O.

XXX. Ex occasione thematis: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* Matth. 5. dici potest, duplicis generis esse pauperes, *coactos*, qui ægrè ferunt paupertatem, atque adeò per fas & nefas ab ea liberari student; & *voluntarios* seu spontaneos, qui aut ultrò omnibus bonis se exuunt, aut certè si prius jam per DEI voluntatem iis exuti sint, statu suo contenti, DEO gratias agunt, atque in paupertate sua, quàm divitiis vivere malunt. Dein probetur, meritò his regnum cœlorum promitti; tum quia propter DEUM libenter dimitunt divitias terrestres, atque adeò pro his cœlestes accipere merentur, juxta illud Matth. 9. *Omnia, qui reliquerit domum vel Fratres aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem aut Filios, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit;* tum quia talis radicem potissimam malorum operum, aut impedimentum fortissimum bonorum operationum efficaciter removet, nempe divitias de quibus S. Paulus 1. Tim. 1. dixit, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, que mergunt Homines in interitum & perditionem:* Radix enim omnium malorum est cupiditas.

tas. Econtrario verò paupertas occasionem ad omnes virtutes subministrat. Hinc Eccl. cap. 31. dicitur: *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, ne speravit in pecunia thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Denique explicetur, quantopere hanc paupertatem Spiritus dilexerit defunctus pauper, & quomodo contentus statu suo in magna Sanctitate & patientia vixerit.

XXXI. Ex occasione Thematis: *Scio tribulationem & pauperitatem tuam, sed dives es.* Apoc. 2. Dicatur, quam veræ divitiæ sint, nempe non illæ materiales, cum illis, qui has possident plerumque illud Apoc. 1. conveniat: *Tu dives, quia dives sum, & locupletatus, & nullius ego, & nescis, quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;* verè ergo divitiæ sunt virtutes & bona opera, quia hæc præcipuè habent conditiones ad veras divitiæ requisitas; nempe 1. *utilitatem* ad omnia impetranda; Nam *pietas*, teste S. Paulo 1. ad Timoth. 4. *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ & per consequens etiam illorum, quæ necessaria sunt ad hanc vitæ.* 2. *stabilitatem*, ut scilicet non possint, possessori invito auferri, quam conditionem vel maximè habent virtutes, uti Christus Matth. 6. indicavit dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi arugo & tinea demolitur, & ubi Furēs fodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in celo, ubi neque arugo, neque tinea demolitur, & ubi Furēs non effodiunt, nec furantur.* 3. *Auferibilitatem* in alteram vitam, quæ sola convenit virtutibus juxta illud Apoc. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos;* Cùm è contrario de divitiis materialibus dicatur: *Dives, cùm dormierit, nil secum auferet, aperiet oculos suos, & nemo aderit ei.* Ostendatur proinde, quam studiosè has divitiæ veras congregare studuerit defunctus, illud S. Augustini S. 5. de verbis Apostoli semper in mente habens: *Non tibi displiceat paupertas tua, nil potes ad divitiis invenire. Vis nōsse quàm locuples sit? calum emit. Quibus thesauris conferrī possit, quod pauperibus videmus indulgentium? ut ad regnum calorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat.* Excitantur proinde Auditores, ut & ipsi deinceps has divitiæ congregare studeant, juxta illud S. Pauli 1. Timoth. 6. *Divitiis humanis*

facili præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, (qui præstat nobis omnibus abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, faciliè tribuere, communicare, thesaurizare, sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

XXXII. Ex occasione thematis: Factum est autem, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abraha. Luc. 16. Dicit potest contingere divitibus malè viventibus & pauperibus justitiam & pietatem amantibus post hanc vitam, quod Falconi & Gallinæ evenire solet; Sicut enim Falco dum vivit, ab omnibus, & præcipuè Principibus, amatur, honoratur, in manibus portatur, optimis cibus reficitur, post mortem verò in fimerum abijcitur sine honore; ita divites in divitiis suis confidentes in hac vita quidem honoribus & voluptatibus abundant, induuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendide; sed post mortem in fimerum inferni abijciuntur, juxta ejusdem Christi l. c. testimonium: *Mortuus autem est & dives, & sepultus est in inferno*: Sicut autem è contrario Gallinæ, dum vivunt, à nemine honorantur, & ipsæmet in fimereto, & plateis grana & victum quærere coguntur; post mortem verò purgantur, lixantur, condiuntur aromatis, ponuntur in argentea vel aurea patina, jusculeo dulci merguntur, traduntur manibus Dapiferorum, portantur ad mensam Principis, ac in ventre ejus ac aliorum hospitem sepeliuntur; ita pauperes in hac vita quidem non honorantur, sed magno labore victum suum quærere coguntur, post mortem verò animæ illorum igne charitatis & patientiæ excoctæ, & aromatibus aliarum virtutum conditæ, Angelis velut Dapiferis cælestibus traduntur, ut DEO offerantur, & ab eo in suam receptæ perfectissimè ipsi uniantur, atque æternum in eo requiescant, ostendatur dein quomodo hæc omnia etiam ipsi defuncto probabiliter contigisse credatur, atque adeò is meritò illud Siracidis c. 11. semper ob oculos habuerit. *Confide in DEO, & mane in loco tuo; faciliè est enim in oculis DEI, subidè honestare pauperem.*

PRO SERVO.

XXXIII. Ex occasione thematis: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus & Filius Ancilla tua.* Ps. 115.

ostendatur, quàm verè dicere potuerit defunctus: *Ego servum tuum*, quia scilicet semper servavit voluntatem & mandata DEI, à qua observatione aliqui servum dictum putant, & id eò etiam meritò dicere poterat: *Et Filius Ancilla tua*, nempe B. Virginis, quæ de se dixit Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* 2. Quare præ aliis Dominis DEO servire elegerit, illud S. Pauli Coloss. 3. ob oculos semper habens; *Servi obedite per omnia Dominis corporalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis vestri timentes DEVM*, quia scilicet in DEO potissimum conditiones ad optatum Dominum requisitas invenit, scilicet summam sapientiam, & summam bonitatem, quæ pro levi servitio infinitum & amplissimum præmium largitur. Eum in finem narrari potest, quod Vincentius Belvacensis in Speculo morali narrat de Famulo, qui diu fidelissimè Domino serviverat, sed, cum in morte vel ad quadrantem ab eo liberationem à doloribus petiisset, isque hoc se non posse respondisset, graviter ingemuit, doluitque, quòd tam diu tali Domino serviisset, à quo neque per quadrantem à morbo possit liberari, & non potius illius servitio se impenderit, qui ipsum ab omnibus malis liberare, & infinitis bonis ditare potuisset.

XXXIV. Ex occasione thematis: *Quis putas est fidelis servus & prudens?* ostendatur, quàm perfectè omnes servi conditiones Defunctus impleverit. Et 1. quidem diligenter observaverit *promptam obedientiam* juxta illud S. Pauli Coloss. 3. *Quodcumque feceritis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis.* 2. *Summam fidelitatem*: Quia ita servavit, ut jure cum Jacob dicere posset Gen. 30. *Tu nòsti, quomodo serviverim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua: Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc divites effectus es, benedixitque tibi DEVS ad introitum mentis.* 3. *Maximam prudentiam*, quia Domino carnali, non ut homini, sed ut DEO servavit, atque adeò illud S. Pauli Eph. 6. observavit: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes sed ut servi Christi.* Unde meritò ei dici poterat illud Matth. 25. *Euge serve bone*

& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

XXXV. Ex occasione thematis: *Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.* II. 52. Infituatur comparatio defuncti cum Josepho Patriarcha, & in tribus ostendatur potissimum similis fuisse. 1. *In fidelitate*, quâ noluit Joseph tangere uxorem Putipharis; Defunctus autem nec uxorem, nec alia bona sui Domini injusta contrectatione usurpavit. 2. *In charitate*, quâ scilicet Joseph Pharaonis domum perindè, ac si sua esset, gubernavit; & auxit; defunctus verò simili industria commodum sui Domini procuravit. 3. *In patientia*, quâ, ut Josephus, omnes injurias seu correctiones Domini sui, aliâque onera servitio annera generosè supportavit, ut meritò sperari possit, quòd, sicut in his tribus Josephum imitari studuit; ita etiam in exaltatione eidem similis sit futurus juxta promissionem DEI in themate factam.

PRO ANCILLIS.

XXXVI. Ex occasione thematis: *Ecce ancilla Domini, fac mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. ostendi potest, quàm verè hoc nomen promerita sit defuncta propter fidelitatem triplicem, à qua apud Hebræos nomen Ancillæ derivatum est. Et 1. quidem propter fidelitatem *intentionis*, quâ in Domino suo & Domina non hominem, sed DEUM aspexit, ad exemplum S. Catharinæ Senensis, quæ in Patre Christum, in matre B. Virginem, in aliis Domesticis Apostolos confideravit, & honoravit. 2. Propter fidelitatem *servitii*, quâ omnes officij sui partes fideliter implevit, & commodum Familiæ unicè promovere studuit, sicque servavit illud Apostoli ad Tit. 2. *servas Dominis suis subditas esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri DEI ornent in omnibus*: Ab hac fidelitate nomen *Ehehalten* acceperunt, quia matrimonium & conjuges in officio suo obeundo juvant, & conservant. Hinc Marcus Crassus ipsos viva Instrumenta œconomix vocare solitus est. Aristoteles vivam, sed separatam partem Domini. Et olim, teste Pierio, quando prima vice domum ingrediebantur, Pater familias palmarum nuceos,

cleos, frumentum, aureamque & argenteam moneram super caput effundebat, ut hoc facto ostenderet, quod officium novi servi futurum sit, totis viribus commodum Familiae promovere, efficeretque, ut tam in rebus ad victum pertinentibus, quam in divitiis Pater & Mater familias cum aliis domesticis necessaria habeant. 3. Propter fidelitatem adhesionis seu constantia, quam videlicet Dominorum suorum defectus cum charitate supportabat, eorum honorem & famam unice defendebat, & tam in prosperis, quam adversis in eorum amore & servitio perseverabat, ita ut jure mereretur audire ab illis, quod Christus Apostolis Luc. 22. *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam*; idque multo magis dicturus fuerit ipse Christus post mortem illius, utpote qui omnia, que Dominis suis prestitit, servitia sibi facta reputet;

XXXVII. Ex occasione thematis; *Respexit humilitatem Ancilla sue*. Luc. 1. ostendi potest, quam humilis Ancilla fuerit defuncta, triplici potissimum exercitio humilitatem suam ostendens, nempe 1. Humilitate intentionis seu propositi, dum scilicet se ipsam vili pendit, & minimam reputavit, id eoque statu suo contentissima vixit, assiduo in ore habens illud S. Davidis 2. Reg. capite 6. *Ludam & viliorem quam plura, quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum Ancilla, de quibus locuta es, gloriosior apparebo*. 2. Humilitate abiectionis; quia abjectissima servitij sui opera cum magna alacritate, diligentia, atque constantia peragebat, illud S. Davidis iterum identidem animo volvens Ps. 83. *Elegi abiectum esse in domo DEI mei (id est, propter DEUM) magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*. 3. Humilitate subiectionis, quam non tantum Domino, sed etiam aliis Domesticis se subiciebat, & mandata eorum, & voluntates prompte exquebatur, injurias & contumelias, & irrisiones ab iis factas equanimi animo portabat. 2. Ostendatur, quomodo DEUS nunc humilitatem hanc Ancilla suae respexerit, eamque inter amantissimas suas sponsas, caeli que Reginas assumpserit; ita ut verè ipsa nunc dicere possit: *Ecce beatam me dicent*

omnes Generationes;

FONS II.

Ex variis Generibus Mortis:

ETiam iste Fons si ritè usurpetur, copiosam valdè materiam suppeditabit pro funebribus Exhortationibus, ex quo tamen non nisi paucos conceptus pro Exemplo afferam; inde enim non erit difficile plures alios invenire.

PRO PEREGRINO.

I. Itaque. Quia non pauci extra patriam mori solent in ipso itinere vel peregrinatione, ex occasione thematis: *Ego hodie ingredior viam universæ carnis* Jos. 23. ostendendum, quòd, cum, ut S. Augustinus sapienter advertit, vita nostra nil aliud sit, quàm cursus assiduus ad mortem; vel, ut S. Gregorius ait, à Tumulo, id est, ventre matris, ad tumulum, id est, sepulchrum pergamus, via universæ carnis rectè mors dicatur, via sanè *difficilis* (quia mors, teste Aristotele est omnium terribilium, terribilissimum) *angusta* (propter angustias ex doloribus, & ipsa mortis appropinquatione oriri solitas.) Et *periculosa* (propter insidias & oppugnationes Dæmonum illo tempore vehementiores. 2. Quòd meritò qui vis, qui per hanc viam incedere vult, providere sibi debeat de necessariis ad hoc iter, & 1. Quidem. si putet se adhuc debilem esse, ex aliquo morbo, aut humoribus malignis obnoxius sit, prius se purgare per aptam medicinam; deinde bonum viaticum & comeatum procurare & assumere, & tandem bonum Comitè asciscere, quæ omnia fiunt per Sacramenta penitentiae, & extremæ Unctionis, ritè suscepta, Communionem religiosè peractam, & B. Virginis, ac aliorum Sanctorum opem ferventius eo tempore imploratam: Ostendatur proin, quomodo hæc omnia defunctus observaverit, atque adeò meritò spes concipi possit, quòd cursum suum feliciter absolverit, de quo proinde illi gratulandum. Vide Pistor. conc. funeb. 26.

II. Ex occasione thematis: *Dies peregrinationis visa mea pauci & mali.* Gen. 47. ostendendum. 1. Quòd rectè vita nostra Peregrinationi comparetur. 1. Quia hic non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus Heb. 13.

Et,

Et, ut Cicero rectè advertit, ex hac vita, tanquam ex hospicio discedimus. 2. Quia sicut Peregrini nil secum in hospitium afferunt, aut ex eo auferunt, nisi pauca propria bona, ita & nos nil intulimus in hunc mundum, & nil auferemus ex eo, nisi sola opera, quæ propriè bona sunt, & nobiscum in alteram vitam auferre licebit. 3. Quia sicut modicus victus & commoratio carò plerumque solvi debet Hospiti à Peregrino; ita non nisi severa ratio & solutio manet post hanc vitam; *statutum est enim omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* 2. Ostendatur; quàm meritò se quisque bene præparare debeat ad hanc peregrinationem; baculum, *spei* assumendo, quæ non confundit, teste David Pl. 30. *Pallium* patientiæ contra varias tempestates, *Vasculum* Temperantiæ, *Calceos* seu *Sandalia* constantiæ, quia *in Christianis*, teste S. Hieronymo in Epist. ad Furiam, *non quaruntur iniuria, sed finis*; quæ omnia facilè defuncto applicari poterunt, vid. Pistor. conc. fun. 27.

PRO REPENTINA MORTE MORTUO.

III. Ex occasione Thematis: *Beati illi servi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Luc. 12. ostendi potest. 1. Quàm graves vigilandi causas omnes homines habeant, quia scilicet hora, quâ non putatur, Filius hominis veniet, undè rectè Thom. K. l. 1. cap. 23. ait: *Abstulite, quid cogitatis, te diu victurum, eum nullum diem habeas hinc securum? quàm multi decepti sunt, & insperatò de corpore extracti? quoties audisti à dicentibus: Quia ille gladio cecidit, ille submersus est; ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obrigit, ille ludendo finem fecit.* Et verò, an non & ipse defunctus exemplo suo id confirmavit? 2. Quid sit vigilare, nimirum, ut sint *lumbi nostri præcincti*, id est, semper paratus quisque sit obviare Domino venienti, quod fit, si vitam bonam, & DEI voluntati conformem duxerit; Dein ut sint *lucernæ ardentes in manibus*, id est, bona opera, de quibus Matth. cap. 5. Christus dixit: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Ostendatur dein, quomodo hæc omnia defunctus observaverit, quàmque ad eò spes bona merito

de ipsius felici obitu concipi queat. vid. Drex. in prod. cap. 20.

IV. Ex occasione Thematidis: *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit.* Mar. 13. Dicitur potest, tristem quidem esse casum, qui tam repente defunctum abstulit, sed tamen vel ideo tolerabilem, quia, licet mors repentina, non tamen etiam perinde improvisa acciderit, hanc enim improvisam mortem solum timendam esse, uti vel ipsa Ecclesia testatur, dum in Lytaniis orat. *A subitanea & mala morte, libera nos Domine.* Contra hanc autem optimum remedium à Christo per supradicta tria verba oblatum esse; Nam primò, per verbum *Videte* indicatur, mortem sæpius, antequam veniat, præmeditandam, cogitandumque quod verissima sit, quoad substantiam, incertissima quoad horam, & acerbissima quoad præsentiam. 2. Per *Vigilare* intelligitur *bona vita*, quæ est optima dispositio ad Domini Adventum excipiendum. 3. Per verbum *Orate* suadetur Oratio velut optimum medium ad bonam vitam impetrandam. vid. Drex. in prodr. cap. 1. §. 26. & 40. & 46.

PRO MULIERE IN PARTU
MORTUA.

V. Ex occasione Thematidis: *Multiplicabo arumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries Filios.* Gen. 16. ostendi potest, quare DEUS tam grave onus mulieribus imposuerit, & quàm patienter illud defuncta tulerit, etiam si illi omnino succubuerit. Nimirum 1. In pænam transgressionis divini mandati ab Eva factæ; Hinc omnibus mulieribus dicitur: *In dolore paries Filios*; atque adeò illæ omnes dicunt illud Mich. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* 2. Ad majorem amorem Matris erga Liberos, & vicissim (nam juxta commune proverbium, *was schmerzt/ das herzt*) ingenerandum: Hinc Tobias etiam Filium ad honorandam & amandam matrem adhortaturus, hoc potissimum argumento usus est: *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sis propter te in utero suo*; sed & Mater Machabæorum. 2. Mach. 7. Non aliud argumentum magis efficax putabat, dum Filium ad constantiam hortatura dixit: *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, &*

in aetatem istam perduxit, unde facile apparet, quantopere defuncta Filium suum de caelo dilectura sit, ut quae illum non solum cum dolore communi, sed mortis angustiis peperit; maiorem enim charitatem nemo habet, quam qui animam suam ponit pro amicis suis.

VI. Ex occasione Thematis: *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quae ducit Ephratam, haec est Bethlechem.* Gen. 35. ostendi potest defunctam merito videri Racheli comparari posse. 1. Quia erat pulchra ut Rachel, non tantum corporis, sed etiam, & multo magis animae pulchritudine. 2. Quia sicut Rachel erat patiens in doloribus puerperii sui, atque adeo dici poterat de utraque illud Isaia 53. *Sicut ovium (hoc enim significat nomen Rachel) ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tendente se obmutescet, & non aperiet os suum.* 3. Quia illi sicut Racheli verè dici poterat: *Noli timere, quia & hunc habebis Filium*, non tam in hac, quam in altera olim vita; hoc ipso enim, quod ab ipsa Benoni, id est, Filius doloris nominatus fuerit, ipsaq; dolores suos pro ipso obtulerit, meruit, ut etiam Pater illius caelestis nomen illius per gratiam suam mutet, & Benianim, id est, Filium dextrae vocet, faciatque. 4. Quia ut Rachel in Ephrata (seu ubertate) quae alio nomine Bethlechem seu domus panis vocatur, sepulta est; In illo nempe loco, de quo S. David Ps. 35. dixit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tua*; ita enim sperare vitam innocenter transacta jubet; quid ergo aliud superest, quam ut ei titulus & memoria aeterna in animo sicut Racheli, erigatur, ut in ipsa quoque verificetur illud Ps. 11. *In memoria aeterna erit iustus ab auditione mala non timebit.*

VII. Ex occasione Thematis: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit Puerum, iam non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est Homo in mundum.* Joan. 16. ostendi potest 1. quantas dolores & tristitiam passa sit defuncta in suo puerperio, cum ad communes dolores etiam angustiae mortis accesserint, ita ut merito cum Christo dicere potuerit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quantam tamen patientiam & aequanimitate hos omnes dolores & angustias sustinuerit. 2. Quantum gaudium nunc percipiat in caelo, quod hominem genuerit, id est, causa fuerit, ut per infantem (ut sperare licet, & ipsa, quan-

quāntum est in se, totis viribus procurare conabitur) tot bona, & tantum decus mundo afferantur: Tanta ipsi infanti gloria in caelo, DEO autem & Sanctis honor & laus in omnem aeternitatem, procreetur, atque ita dici potest, eam gaudere, quia homo *naturalis* constans tam nobili corpore & anima: *Supernaturalis & spiritualis* tam perfectè hominis ad statum supernaturalem elevati officium subiturus. Et tandem *caelestis* vitam olim caelestem cum ipsa per totam aeternitatem victurus sit natus. Quam ob causam meritò illi congratulari, & congaudere decet.

PRO OCCISO.

VIII. Ex occasione Thematis: *Et percussit eum in iniquine, & mortuus est. 2. Reg. 3.* Dicitur potest contigisse defuncto, quod Abneri olim à Joab; sicut enim hic Abnerum seorsum duxit, & insperatò in iniquine percussit, & occidit; ita mortem duxisse defunctum in locum, tibi occisus est, & fatale illud telum illi infixisse. Hinc sicut David dixit ad Populum & ad Joab, qui ipsum occiderat: *Scindite vestimenta vestra, & attingimini saccis, & plangite ante exequias Abner;* Ita idem suo modo DEUS ad Auditores dicit, jubetque scindere vestimenta per commiserationis affectum (sic enim membra invicem condolere solent) accingi saccis per varia opera poenitentiae & humilitatis suscepta. Et denique plangere per orationes varias oblatas. Addeat subinde Exhortator Elogium, quale David Abneri pronuntiavit: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner (& qui occisus est, quia forti animo tulit injustam necem) Manus tua ligata non sunt (quia semper vel ad DEVM per preces, vel ad pauperes per elemosynam, vel ad laborem ad exercitium extensa) Pedes tui non sunt compedibus (peccatorum) aggravati;* Hinc in via mandatorum cucurristi.

IX. Ex occasione Thematis: *Homo quidam descendebat de Iericho, & incidit in latrones. Luc. 10.* Dicatur per hunc hominem rectè defunctum adumbratum fuisse, utpote qui & ipse inciderit in Latrones (occisores suos, aut etiam tortores in purgatorio) qui despoliarunt eum, quia opibus, Amicis, honoribus privarunt, & plagis (id est, vulneribus lethalibus aut poenis in purgatorio) impositis abierunt semivivo (Nam licet

licet secundum corpus occisus sit, tamen secundum alteram dimidiam partem, animam scilicet adhuc vivit, vivetque in æternum, uti vita bene transacta bene sperare jubet, relicto. Inferatur proin, quàm æquum sit, ut & AA. Samaritanum imitentur, & misericordiâ moti alligent vulnera per vinculum charitatis; & oleum operum misericordiæ vinumque consolationis affundant, & in stabulum, id est, locum quietis aut sepulchrum ducant, simulque duos denarios orationis & Sacrificii Angelis eorum in manus dent, rogentque, ut curam eorum habeant, ut citò à vulneribus liberati, in patriam suam pergere valeant.

X. Ex occasione Thematis: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Matth. 8. ostendi potest, quàm meritò sperari possit occisum, beatitudinem æternam consecutum fuisse, eò quòd verè ob iustitiam occisus sit, dum scilicet mortem æquo animo toleravit, morique maluit, quàm quidquam contra iustitiam agere. 2. Quia etiam Inimicis ex corde ignovit, animo magis, quàm linguâ proferens illud Christi: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* 3. Quia, dum iustitiâ protegi volebat, odium inimicorum incurrit, atque adeo omnino occisus est. Itaque meritò audi visse modò credendus est: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Excitandi proin AA. ut & ipsi congaudeant, & congratulentur.

PRO SUBMERSO.

XI. Ex occasione Thematis: *Et preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam.* Jon. 2. Dicit potest, defuncto ferè id, quod Jonæ evenit, contigisse; Nam & ipse missus in mare tribulationum, quæ tempore mortis plerumque obruere solent, devoratus est à morte, & in sepulchro velut ejus ventre latebit, usque ad diem judicii: Tunc enim dicit Dominus morti, ut evomat illum iterum, & tum primùm incipiet prædicare laudes & misericordias Domini. Explicentur hæc omnia fufius, & in subsidium assumatur oratio Jonæ c. 2. cit. Et pro Coronide excitentur Auditores, ut & ipsi non desperent, ubi in mare tribulationum projecti fuerint, sed ad

sed ad Dominum ex corde clament, atque ab eo auxilium sperent.

XII. Ex occasione Thematidis: *Sumpsit fuscillam scirpeam, posuitque intus Infantulum, & exposuit eum in carecto ripa fluminis.* Exod. 2. Dicatur Juveni vel Infanti submerso tristitem quidem casum evenisse, sed meritò Parentes solari debere, quòd non Filia Regis, sed ipse DEUS cæli terræque summus Imperator cum in aulam suam transtulerit, ibique inter Aulicos suos deinceps vivere voluerit, ubi & ipsis & toti Populo suo plùs, quàm olim Moyses Israëlitis profuturus sit precibus suis. Instituenda ergo fuscior comparatio inter Pharaonis & DEI potentiam & Regnum utriusque, atque inde occasio sumenda Auditoribus, & præcipuè Parentes ad gaudium & gratulationem excitandi.

PRO FULMINE TACTO.

XIII. Ex occasione Thematidis: *Descendit ignis de celo, & devoravit illum.* 4. Reg. 1. Dicitur potest fuisse quidem defunctum etiam ab igne de cælo descendente devoratum, sed hoc ex capite feliciorum esse, quàm fuerit Princeps ille quinquagenarius, quòd à meliore igne, quàm iste fuerit absumptus, scilicet ab igne charitatis divinæ, unde ostendatur 1. quanto opere defunctus DEUM dilexerit, enumerando varios actus dilectionis, præsertim observationem mandatorum DEI (juxta illud Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum*) Et hilaritatem in adversis ex amore DEI tolerandis juxta illud Cant. 8. *Aque multa non potuerunt extinguere charitatem.* 2. Ostendatur, cum DEVS à Creaturis suis vinci se in amore non patiat, facile inde colligi posse, quantopere vicissim defunctum dilexerit, atque adeò meritò credi posse, quòd ignis hic absumens illum, fuerit quodammodo currus Eliæ igneo currui similis, per quem in cælum evectus sit. Gratulandum inde potius illi, quòd sic evectus sit, rogandumque, ut duplicem hunc spiritum seu gratiam Auditoribus relinquat, aut impetret, scilicet ut & ipsi sincerè DEUM amare, & vicissim ab eo amari mereantur.

FONS XII.

Ex variis Doctrinis.

ET si hic Fons non videatur esse distinctus à prioribus, tamen si bene inspiciatur, omnino distinctos conceptus, & quidem sat multos offert, cum innumeræ excogitari possint doctrinæ, quæ velut à mortuis relictæ proponi possunt.

Itaque I. Ex occasione Thematæ: *Cumque convertissem me ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nil permanere sub sole.* Eccles. 4. Dicitur potest idem defuncto contigisse, & 1. quidem divitiarum, honorum, voluptates, quas possidebat, explicari, ostendique, quàm nihil nisi vanitas & afflictio relictæ fuerit. 2. Tamen dici potest, quòd in hoc sapientior fuerit Salomone, quòd præter hæc in collectione verarum divitiarum, honorum, & voluptatum sudavit, & in illis repererit consolationem animi, ad quam proin cum ipso quærendam etiam Auditores sunt excitandi.

II. Ex occasione Thematæ: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. Narrari potest id, quòd aliquando alicui Virgini defunctæ contigisse memoratur, dum scilicet in iudicio apparet, & non satis purgatam se videns, vehementer erubuit, multumque manibus texit, atque adeò inferendum, quòd meritò timendum sit, ne & hoc defuncto contigerit; verum adhuc levem esse hanc verecundiam & ruborem, si eum illa confusione, quæ in ultimo iudicio secutura est, conferatur, eam enim triplici ex capite gravissimam fore. 1. *Ob maiestatem iudicantis*, quæ tunc extraordinaria apparebit. 2. *Ob multitudinem adstantium*, omnium scilicet hominum & Angelorum. 3. *Ob longitudo aternæ durationis*, quas ob causas non tantum manibus vultum operire volent, sed insuper integros super se montes cadere optabunt. Moneantur ergo Auditores, ut præcaveant hanc confusionem, & tanti panitere non emant.

III. Ex occasione Thematæ: *Vinam sapient, & intelligerent, ac novissima providerent!* Deut. 32. Narrari potest ex magno speculo ex tit. Sapientia. Historia illa de sene sapientiam in foro venalem habente, & Regi eam emere volenti

hanc

hanc unicam sententiam bene observandam suadente: *Nil in-
tipe, donec cogites, quis exitus sequatur.* Quam cum Rex om-
nibus suis habitationibus & vasis inscribi jussisset, ejus auxilio
sapiantissimè rex. Inferatur subinde idem documentum à
defuncto nunc amicis suis, aliisque Auditoribus relinqui, &
tantò vehementius commendari, quantò magis nunc experi-
tur ex ejus observatione neglecta omnes tam suos, quàm a-
liorum defectus atque peccata ortum duxisse. Sapiant proin-
ipsi exemplo illius, & vel deinceps in omnibus operibus suis
memorent novissima, ut in æternum non peccent.

IV. Ex occasione Thematis: *Mihi heri, & tibi hodie.*
Ecl. 38. Narrari potest, quòd Delrius in adagiis refert, scili-
cet quòd Rex Galliarum à Carolo V. captus, cum Madriti in
patere legisset Caroli Symbolum: *Plus ultra* adscripserit:
Hodie mihi, eras tibi. Quod legens Carolus iterum subscripse-
rit: *Homo sum, humani nil à me alienum puto.* Inferatur dein,
quòd, cum plerique ex AA. etiam in animo suo quodammodo
scribant, aut dicant: *Plus ultra*: scilicet vivam, & divitias
ac honores congregabo; Hodie defunctus dicat illis: *Hodie
mihi, eras tibi*, exitus vitæ fortè imminet; applicent sibi
proin hanc doctrinam, & ut feliciter mori possint, mori quo-
tidie discant: juxta illud Poëta:

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce:

Ut felix possis vivere, disce mori.

vide Drex. in prod. cap. 1. §. 41.

V. Ex occasione Thematis: *Dum tempus habemus, ope-
remur bonum.* Gal. 6. dicendum, quòd si defunctus modò qua-
reretur, quid de vita sua præterita sentiret, & quid maximè à
se factum optaret, haud dubiè responderet illud Poëta:

O utinam lapsos reddat mihi Jupiter annos.

Heu bene lapsa mihi vix fuit ulla dies.

Hoc est:

O daß Gott wider mir vergundt /

Die Jahr / so schon verlossen.

Raum hab ich wohl angelegt ein Stunde /

Habs leyder übel troffen.

In confirmationem hujus afferatur, quòd olim S. Mechtildis
has beatorum in cælis voces audivit: *O felices vos, qui in ter-
ris adhuc degitis; meritorum enim cumulos maiores potestis vo-
bis com-*

bis comparare. Sanè si intelligeretis, quantum quovis die mereri possitis, cum summa alacritate è lecto exiliretis. Et ad bene operandum vos accingeretis. Ut autem magis appareat, quid mereri Homo possit, afferre proderit memorabilem S. Bernardi sententiam in hæc verba conceptam: *Libes, inquit, fabulari, donec hora prætereat, quam tibi ad agendam poenitentiam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulset.* Excitentur proin Auditores, ut illud Eccl. cap. 14. accuratè observent: *Ne defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* vid. Drex. in prodr. cap. 1 § 22.

VI. Ex occasione Thematis: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Eccl. 5. Dicatur multa quidem esse Præconia defuncti, sed inter alia palmam prope modum meretur, quòd nil distulerit eorum, quæ ad negotium animæ pertinebant; præcipuè ultimo tempore morbi sui; viderat enim tria gravissima mala imminere iis, qui vitæ melioris proposita procrastinant, nempe 1. Difficultatem emendationis. 2. Amissionem meritorum, & temporis. 3. Salutis periculum, quia ut idem Ecclesiasticus mox subdit, subito venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Itaque semper in animo habeant illud Poëtæ:

Sera nimis vita est crastina, vive hodie.
vid. Drex. in prodr. c. 1. §. 8. & 37.

VII. Ex occasione Thematis: *Memor esto iudicii mei, sit enim erit & tuum.* Eccl. 38. ostendi potest 1. Quomodo defuncto contigerit, quod regi Balthasari Dan. 5. *dum appensus est in statera, & inventus est minus habens:* Addi tamen potest meliorem fuisse exitum defuncti, eò quòd imitatus sit Religiosum illum, qui videns lancem malorum operum præponderare, clamavit: *Ah tenete libram aequaliter. Ah vel unicam guttam sanguinis Christi apponite alteri lanci,* idque ubi impetravit, vicit. Excitentur subinde Auditores ad similem fiduciam concipiendam, cum simile etiam illorum iudicium sit futurum. Eum in finem narrari breviter poterit historia de Viro illo, qui, quoties transijt prope imaginem Crucifixi, per agoniam, quam passus est Christus, dum in cruce animam egeret, rogavit, ut memor illius in morte esse velit, & hujus remedii auxilio sine omni purgatorio ad cælum evolavit.

VII. Ex occasione Thematis: *In obitu suo non est contritus*

status, nec confusus est eorum Inimicis. Eccl. 30. Dicit potest defunctum fecisse, quod pijsimū juvenem Joannem Berchmannum è Soc. Jesu fecisse memoratur, dum scilicet in morte Crucifixi effigiem, Rosariū, & Regulas apprehendens, dixit: *Cum hu tribus libenter moriar.* Ostendatur ergo per partes quod hæc omnia tria defunctus observaverit; quantum fiducia & devotionem ad SS. Christi passionem ostenderit: quàm sincero & constanti cultu B. Virginem coluerit; & quàm perfectè mandata DEI & Superiorum observare studuerit, quantumq; inde solatium, & robur in morte perceperit. Excitentur tandem AA. ad eadem mediā adhibenda, ut simile in morte solatium experiri mereantur. vid. Pistor. conc. fun. 36.

IX. Ex occasione Thematis: *Quid superbit terra & cinis.* Eccl. 10. Dic hominibus plerumque contingere, quod de Pavone Plinius & alii scribunt, quod scilicet, dum pennas suas versicolores extendit, & quodammodo superbit, mox tamē, ubi pedes suos nigros aspexerit, dimittat iterum; Ita namque & homines, si superbiæ Spiritu afflatos se advertant, ubi pedes, id est, suam aut aliorū mortem consideraverint, & quid tunc futuri sint, bene perpenderit, facilè pennas altarum cogitationum contrahere. Hinc S. David Pl. 72. dixit: *Non est respectus mortis eorum, ideo tenuit eos superbia.* Subinferatur postea, hoc medio ipsum etiam defunctū usum fuisse, & ideo semper magnam humilitatem prætulisse, ob quam & DEO & hominibus gratus semper fuerit. vid. Pistor. in con. fun. 38.

X. Ex occasione Thematis: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. Dicit potest defunctum fecisse quod de S. Dionysio Areopagita scribitur, qui ad mortem damnatus ultimū, inquebat, verbum Domini mei in cruce, sit & mihi ultimum in hac luce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Ut autem audaciū hoc dicere posset defunctus, ostendatur eum in vita prius spiritum quoque suum in manus patris semper commendasse, dum semper & ubique voluntatem DEI indagavit, eique se perfectissimè conformare studuit, memor doctrinæ à Blosio in consol. pu. 11. datæ his verbis: *Nullum exercitium in extremis utilius esse, quàm ut quis se ipsum ex integro voluntati divinæ resignet; Fieri enim nequit, quin is, qui in hujusmodi vera per- fectaque resignatione & cum sancta erga DEUM fiducia ex*

hac luce exit, confestim ad regna caelestia evolet; Nam sicut nil omnino pœnæ, nil ignis in DEUM cadere potest, ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem, amorémque DEO unitus est. Excitandi proin Auditores ad simile medium pro felici morte adhibendum, vide Drex. in prodr. cap. 2. §. 46. 47. & 48.

XI. Ex occasione Thematis: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Pl. 84. Ostendatur, quàm verè vita nostra cum Araneæ laboribus comparetur, præcipuè ob tres causas. 1. Quia tota vita nostra consumitur in vanis rebus ad muscas capiendas contexendis, id est, in divitiis congregandis, per quas nil aliud, nisi vanissimas vanitates venamur. 2. Quia sicut aranea per labores suos se ipsam eviscerat, ita & nos homines laboribus nostris nimis vitam abruptimus. 3. Quia, sicut plerumque labores araneorum diuturni non sunt, sed subito ab Ancillis scopis destruuntur; ita & mors insperatò superveniens omnes nostros labores annihilat. Ostendatur proin, utiliùs laborasse defunctum, bombycis scilicet in modum, ut qui, cum in signe opus texuisset, in alitem mutatus ad cælos evolavit. Excitentur Auditores ad similem prudentiam in laboribus suis exercendam, vide Drex. in æter. Confid. 5. §. 1.

XII. Ex occasione Thematis: *Id, quod in presentis momentaneum, & leve est tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternæ Gloria pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Dicatur olim P. Christophoro Caro è Soc. Jesu à DEO datam esse hanc lectionem. O æternum, ô momentaneum, ô longum, ô breve! Quam doctrinam etiam à defuncto, dum viveret, studiosè fuisse observatam, ut qui in omni tentatione ad voluptates sibi occinere solitus erat notum illud;

Momentaneum, quod delectat,

Æternum, quod cruciat.

E contrario verò in omni tribulatione oppositam sententiam usurpaverit; *Momentaneum, quod cruciat, æternum, quod delectat.* Et per geminam hanc æternitatis considerationem se ad abstinendum, & sustinendum fortiter excitavit. Confirmetur id ipsum enumeratione particularium casuum, &

seria Exhortatio ad idem medium usurpandum subjungatur.